

R.
175

175

UM&F

ERNESTI JEREMIAE NEIFELDII

MEDICINAE DOCTORIS SERENISSIMI REGIS
POLONIARUM CONSILIARII AULICI ET ACADEMIAE
CAESAR. LEOPOLD.-CAROLIN. NATURAE
CURIOSORUM SOCII

R A T I O

MEDENDI MORBIS

CIRCULI SANGUINEI

MONUMENTIS

PRAESTANTISSIMORUM MEDICORUM TUM

VETERUM TUM VEL MAXIME RECENTIORUM

SUPERSTRUCTA.



VRATISLAVIAE

IMPENSIS IOAN. FRIDERICI KORNII, SEN.

CIS 1800 LXXIII.

1220
INST. MED. FARM. 1773



UNIVERSITÄT JENÄ
FACULTÄT FÜR MEDIZIN
ANATOMISCHES INSTITUT
JENÄ, DEN 12. SEPTEMBER 1888

M. A. F. A. G.

MEDICINDE MOYEN
CIRCUIT S'AMOUR

Medicus est Minister : Natura Medicatrix :

Deus fons salutis.



REGUM POLONORUM
SAPIENTISSIMO
SERENISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO
DOMINO
STANISLAO
AUGUSTO
PARENTI PATRIAE OPTIMO
PRIMOQUE
SCIENTIARUM BONARUMQUE ARTIUM
IN PATRIA
PROMOTORI
REGI ET DOMINO
LONGE CLEMENTISSIMO

REX AUGUSTE!

Inter tot ac tantas Virtutes, quibus MA-
IESTAS TUA, in orbe universo,
exornata splendet, ea inprimis, DIVO
TUO NOMINI, parat aeternitatem,
quod TOTUS jam ab ineunte aetate, stu-

diorum amore perfusus, maximo in pretio
habeas, humano generi utiles scientias. Ex
hac, vere REGIA Virtute, singularis il-
le TUUS proficiscitur, ardor, propensis-
sima TUA voluntate, et clementia, ad
spem et aemulationem erigendi, animos eo-
rum, quibus prospera scientiarum fata sunt
cordi, adeo ut etiam, dirissimis, belli inte-
stini, calamitatibus, undique pressi, artium
et scientiarum limites, in patria, extendere
haud lassescant. Quantum enim in TE sar-
maticae helliconides, APOLLINEM, et
quam tutum coram TE, reperiant asylum,
apud exteras quoque gentes, notissima res est.

Id igitur potissimum causae est, REX
SAPIENTISSIME! cur non verear, hoc
meum opusculum, ad pedes MAIESTATIS
TUAE ceu publicae venerationis atque sub-

jectio-

jectionis, testimonium, daponere. Cum enim
nil magis statum imperii firmat, nihilque,
propius ad felicitatem ejus tuendam, accedit,
quam cura publicae salutis et sanitatis civium
incorruptae: **TIBI, DIVE AUGU-**
STE, QUI omnes nervos intendis, ut bea-
tissimus sit populus **TUUS**, hanc meam, in
dedicationis officio, temeritatem non penitus
displicituram esse, putavi.

*Accipe igitur, **REX AUGUSTE!***
accipe fronte serena, quam justissima, virtu-
*tum **TUARUM** veneratio mihi dictavit*
*dedicationem! Servet **TE** summus rerum au-*
*tor et Conservator! Servet **TE** per lustra*
plurima, Nestoreis annis dignum, ab omni-
bus adversae valetudinis, incommodis, immu-
*nem! Largiatur **TIBI**, regimen beatum,*
paceque et securitate publica, conspicuum!
** 4 **TUIS.***

*TUISQUE, magnis constanter annuat
coeptis ! Haec ardentissimis a Deo contendit
precibus*

**AUGUSTAE
MAIESTATIS TUAE**

Dabam
Lesnae in Pol. maj.
mens. Jan. 1773.

Devotissimus et subjectissimus

AUTOR.

LECTO-



LECTORI BENEVOLO.

S. D.

D. ERNESTUS JEREMIAS
NEIFELD.



Praxin medicam, summam, longe-
que utilissimam totius medicinae
esse partem, neminem latebit, qui
solidiori doctrina salutari, instructus, bene in-
tellexerit, ejus scopum potissimum consistere
in eo, ut sanitatem reddat aegrotis. Omnes
enim aegrotantes, a medico exigunt, ut
morbo, quo adfliguntur, medeatur, vel sal-
tem ejus progressum arceat, et toleratu fa-
ciliorem reddat. Verum proinde praxeos cli-
nicae objectum est, morbum singularem, in ae-
gro singulo, per singularia cognoscere signa,
eundemque, singula i methodo, auxiliisque
* 5 singu.

PRAEFATIO.

singularibus curare. Cum vero ex hac, praxeos medicae, idea, satis evidenter appareat, regulas non dari generales de methodo medendi, sed eas potius a causis singularibus, ex quibus morbus in diversis subjectis oriri, cognoscitur, esse deducendas; neque etiam, eadem auxiliorum genera, ad prolligandum eundem morbum, ob diversam aegrorum idiosyncrasiam, aequae salutari effectu, applicari posse: facile quoque intelligere datur, cur exercitium praxeos clinicae, tantis difficultatibus sit obnoxium, et medicis junioribus tantas creare soleat molestias. — Aliud enim quid est, morbum ejusque medelam describere, aliud itidem ex artis regulis, in homine decumbente eum detegere et curare. Utilem proinde atque gratum, medicinae tyronibus, suscipiunt laborem, qui tam veterum quam recentiorum observata in ordinem redigunt, ex iisque compendia conficiunt, ceu totidem promptuaria, ex quibus depromere possunt ea, quae morbis tum cognoscendis tum curandis, scitu necessaria ipsis videntur.

Id igitur potissimum causae est, cur opusculum hocce, varia observatione practica,
varia-

PRAEFATIO.

variaque lectione conflatum et concinnatum, in usum praecipue eorum, quibus, propria experientia destitutis, tantum non suppetit otii, ut medicorum praestantissimorum scripta singula legere et evolvere queant, evulgare constituerim. Ut vero intelligantur ea quae de morbis, eorundemque, causis, effectibus et curatione, in hoc opusculo breviter traduntur: singulas medicinae partes theoreticas, ab aliis satis expositas, praecognitas suppono. Ad firmandam enim atque stabiliendam praxin, utramque tam theoreticam quam practicam cognitionem, esse jungendam, facile cuilibet rei perito, patet.

Jam septem numero circumacti sunt anni, postquam, haec praxeos medicae fundamenta, optimorum tum veterum tum recentiorum scriptorum, autoritate, firmata et stabilita, in usum atque emolumentum, juniorum medicorum publici juris facere, mecum constitueram. Quae a pluribus annis, non sine labore et industria ex monumentis praestantissimorum medicorum, propriaque experientia, confirmata, collegeram observata, in eum jam tunc temporis, redegeram ordinem, ut ea, praelo subjicere,
non

PRAEFATIO.

non dubitarem. Cum vero, opusculo, ultimam addere limam, animo meditarer; sic erat in fatis, ut universa civitas nostra, improvise, aboleretur igne. Iisdem fluctibus miseriarum ac reliqui civitatis incolae, expositus, non solum meas, quamvis tenues opes, verum etiam suppellectilem librorum, opera multa, multisque sumptibus, collectam et adquisitam, et simul hoc opus jam fere absolutum paucis horis, flamma convalescente, absumta experiebar. In tristissimo hoc rerum statu omni sic apparatu librorum privatus, imo quoque domicilio carens, quo me continere poteram, locum hunc ad cineres redactum derelinquere, meque Polniam, conferre, dura necessitate, coactus fui. Hic loci, a principio nimis distractus negotiis practicis, de colligendis, de novo, his observationibus, cogitare, non potui. Mox vero, variis, iisque gravissimis, adversae valetudinis, incommodis, misere adstrictus, et vix non continuo, lecto adfixus, praxi medicae exercendae, jam non sufficebam. Misera haec valetudinis meae conditio, atque calamitates belli, me impulerunt, ut iterum me anno praeterito, Lesnam conferre, hicque cursum vitae

PRÆFATIO.

tae meae conficere, constituissem. Viribus vero vitæ, præter omnem spem et expectationem aliquo modo, recuperatis, ne tempus conterere manibusque compressis, in musæo meo, sedere viderer: hyeme præterito, ea, quæ in animo hærebant practica observata, denuo in chartam conijcere, et forma compendii, in usum tyronum medicinae, prælo subijcere, consilium cepi. Ad suscipiendum hunc laborem, me multum incitasse, munificentiam *medicorum Vratislaviensium*, qua jacturam suppellectilis librorum, aliquo modo resarcire, voluerunt, ingenue fateor, iisque hic publice gratias agere, mei officii esse, existimo. —

Me quidem non latet, praxin medicam a veteribus jam adeo fuisse excultam, et dein a recentioribus sic illustratam et auctam, ut fere supervacaneum nonnullis, hoc meum institutum videri possit. Hoc vero, ab opere hoc colligendo, me non deterruit, sed potius, varias ob rationes, mihi illud texendi, occasionem dedit. Cum enim, cuilibet tyronum medicinae non suppetat tantum temporis, ut varia et singula præstantissimorum Autorum scripta evolvere atque perlegere valeat; hunc meum laborem, iis, propterea
utilem

PRAEFATIO.

utilem et gratum esse posse, cogitavi, quod placita veterum cum neotericorum inventis, ubicue sollicite combinaverim, atque ita in synopsi quasi, ipsis, simplicem morborum tractationem, ex priscorum atque recentiorum scriptorum, monumentis, desumptam exhibuerim. Me igitur non gloriae captandae gratia, sed inductu consilii, tam aegrotantium quam medentium, emolumentum, respicientis, opusculum hoc, publici juris fecisse quisque aequus rerum iudex facile intelligit.

Quod attinet ordinem, quo usus fui, in texendo hoc opere, minus placuit mihi ille, quem plurimi scriptorum sequuntur, incipientes a morbis capitis, et ita ad adfectus reliquarum totius corporis partium subjectarum ad imum usque pedem, progredientes. Consultius esse duxi, infinitos fere morborum titulos methodo Magnifici D. D. Ludwiggii, Praeceptoris maxime colendi, dividere in morbos generales, qui tota occupant corpora, atque in particulares, qui in eadem corporis parte, manent. Quamvis enim et haec methodus pertractandi non sit perfecta et adaequata, cum certe, plurimi particulares morbi, ut v. c. phthisis, icterus

PRAEFATIO.

ictus et alii, universam machinam laedant et ideo ad morbos universales referri deberent, rursus vero nonnulli morbi, universales Clarissimo Ludwigo dicti, ut v. c. mictus cruentus, haemoptysis, narium haemorrhagia, ad particulares pertineant: tamen pluribus rationibus commotus, ab ordine, quo usus est clarissimus in arte Vir Ludwigi, deficere nolui.

In singulis porro adfectibus explicandis qualem observaverim ordinem, jam breviter dicendum. Primo itaque loco, nominis, cujuslibet morbi, rationem investigavi, ut medicinae tyrones sciant, qualem sub hoc vel illo nomine, morbum, intelligant Autores. Dein vero morbi cujuslibet exposui historiam. Hujus certe cognitionem exactam, ad medicam artem cum successu, excolendam, summe esse necessariam, nemo rei medicae peritus, facile in dubium vocabit. Quo enim cunque, morbo, quis adficiatur, mutatum aliquid a sanitate habet sensibus percipiendum. Haec vero mutata, quae alias phaenomena vocantur praeternaturalia, eo, quo se mutuo succedunt, ordine, fideliter notata, dant morbi historiam. Nunc vero haec phaenomena praeternaturalia

PRAEFATIO.

ralia functionis visceris vel partis cujusdam indicant laesionem. Is igitur qui exacte intelligit morbi historiam, non solum actionem laesam seu morbum, sed etiam ejus causas, eventum et modum medendi facilius eruere valet. Cognitionem historiae morbi proinde plurimum ad cognoscendum et curandum morbum conferre atque ideo tyroni medicinae apprime scitu esse necessariam, satis evidenter apparere arbitramur.

Succincta sic quidem praemissa morbi historia, omnem posui operam, ut symptomata cujuslibet adfectus essentialia et ab ipso morbo inseparabilia, ab iis quae adesse et abesse possunt, et ideo adsidentia, vocantur, probe distinguerem, atque sic signa pathognomonica proindeque et differentias ab aliis similibus morbis, fideliter indicarem.

Cum porro morbus perfecte sanari nequeat, nisi ejus proxima tollatur causa: debitam causarum morbi, cognitionem, praecipuum praxeos medicae fundamentum existere, neminem latere potest. Operae igitur pretium esse duximus, diligenter perferutari eas non solum causas, quae corpus ad morbum suscipiendum disponunt, verum etiam eas, quae morbum immediate exci-

tant

PRAEFATIO.

tant. Superfluum vero nobis est visum, varias morborum theorias et hypotheses noviter inventas, distinctionesque illas subtiles causarum, quae a quibusdam systematum conditoribus, introductae, parum habent utilitatis, imo potius intellectum juniorum medicorum confundunt, indicare. Satius potius esse duximus, causas morbi cujuslibet tam remotas quam proximas in theoria et experientia medica, fundatas, candide et breviter, exponere, ut iis, medicinae tyrones suas superstruere possint, indicationes. Ideo enim abstrusae et absconditae, nobis ut plurimum manent causae morborum, ut vel omni adhibita mentis acie, ingeniique acumine, vix quidem in intellectum, earundem penetrare possimus. Varia sic v. c. dantur exanthematum genera, quorum causae materiales a se mutuo diversae, vix quidem etiam ab exercitatissimis in arte viris, determinari possunt. Adeo quoque diversus reperitur sanguinis status in acutis, ut in uno eodemque morbo, ex eadem vena mox spissus, mox dissolutus ille profluat. Is igitur tantum, in hac rerum diversitate veram morbi detegere valet causam, qui bene scit, structurae corporis humani ex

PRAEFATIO.

anatomie adquisitam cognitionem, ejusdemque functionum tam viscerum quam organorum, accuratam notitiam, cum actionibus laesis, comparare, sic enim signa patebunt, quae morbum praesentem, ejusque causam proximam manifestant.

Causis sic quidem fideliter, notatis, non incongruum fore putavimus, judicia, de morbi cujuslibet eventu, sive prognosin, ex observationibus praecipue antiquiorum rei medicae scriptorum brevissimis indicare. Universalis enim fere invaluit mos, ut medicus, quamprimum ad lectum accedat aegroti, de exitu morbi, interrogetur. Nil vero magis famam medici laedit, quam si ejus prognosis, eventui haud respondeat. Quo igitur sciant tyrones medicinae, quo modo in prognosi facienda se gerere debeant, praecipua hujus momenta ex scriptis optimorum autorum, dinumerare, nostri officii esse putavimus.

Postremum tandem locum, in hoc opere, dedimus medendi methodo. Ad praxin enim exercendam non sufficit, scire, quomodo ex phaenomenis causa latens erui, et quali modo tolli possit. Necessaria quoque est eorum auxiliorum cognitio, quae
longo

PRAEFATIO.

longo usu comprobata sunt valere ad hanc vel illam morbi causam tollendam et emendandam. Imperfectam proinde possidet medicinam, qui tantum nescit detegere morbi causas atque formare indicationes curativas, nisi simul instructus sit accurata auxiliorum cognitione. Cum vero tantus medicamentorum farrago in scriptis medicorum, reperitur, majorque certe numerus aegrotantium ex remediorum abusu et copia, quam ab illorum inopia, vita periclitentur: prae omnibus in hoc opusculo, in id animum direximus, ut indicarem remedia simplicissima et veris indicationibus sufficientia, ne practici juniores ancipites reddantur, quae nam in singulo casu, ex tanto medicamentorum copia, eligere, quaeque itidem relinquere debent. Monemus itaque iterumque monemus tyrones medicinae, ut simplicitatem in praescribendis medicamentis quam maxime sibi commendatam habeant, neque tot inconcinnis remediorum compositionibus, aegrotis suis noceant. Crebrior enim ipsos docebit experientia, morborum sanationem non a copia remediorum sed ab eorundem selectu et debita administratione pendere. Id igitur potissimum causa fuit, cur in te-

PRAEFATIO.

xendo hoc opusculo ubique summam posu-
erimus operam, ut non solum regulas et
indicationes practicas speciales, therapiae
generalis praeceptis accommodarem, sed
etiam ut formulas simplicissimas et experi-
entia comprobatas consignarem. Hanc
enim esse solam viam, qua ad fortunatam
praxin faciendam, juniores medici, omnium
citissime praeparari possint, facile cuilibet
rei perito patet.

Atque his quidem, de ratione et ordine
hujus nostri instituti, praemissis, praefandis
jam finem facere possem. Ut vero juniores
practici, eo faciliori cum successu, haec
nostra collectanea, in usum suum conver-
tere discant: regulas nonnullas specialiores,
in exercenda praxi medica probe obser-
vandas, breviter exponere, consultum esse du-
ximus.

Quamprimum itaque medicus, in consi-
lium vocatus, ad lectum aegroti accedit,
omnium primo, sibi caveat, ne, in pericu-
loso imprimis atque praecipiti morbo se esse
perturbatum, ambiguum, vacillantem, aegro-
tus et adstantes, animadvertant. Multo mi-
nus aegroti metum injiciat, vel etiam de
morbo ejusque exitu, inpetu aliquo vel fe-
stinan-

PRAEFATIO.

stinando, loquatur. Hoc, utut plurimū medicorum facere soleant, eum in finem, ut, si medela morbi ex voto succedat, sibi majorem conficiant famam: maxime tamen periclitantur, ut gratiam atque fiduciam tam aegri quam amicorum effundant. Officii medici potius esse putamus, ut laeta atque serena facie, ad lectum aegri se apponat, blandisque alloquiis, animum ejus depressum, solatio erigat, eique, Deo juvante, prosperum morbi eventum praesagiat.

Hoc facto, sermone sedato, amabili, humanoque aegrum et eos qui circa sunt eum, examinando discat quae ad morbum bene intelligendum faciunt. Sexus, aetas, vitaeque cum peractae tum praesentis ratio sunt, prima, quae medicus considerare debet. Multum enim est scire, an mas, sit puer, adolescens, vir, senex: an foemina, puella, virgo, gravida, parturiens, puera, nutrix, effoeta. Multum quoque facit ad morbum bene cognoscendum, ut sciat medicus, quo vitae genere usus fuerit aegrotus, et quibus a juventute fuerit obnoxius, infirmitatibus. Haec, utut levidentia esse videantur, et a medicis practicis, in morborum examinibus saepe, ut superflua,

PRAEFATIO.

xendo hoc opusculo ubique summam posuerimus operam, ut non solum regulas et indicationes practicas speciales, therapiae generalis praeceptis accommodaremus, sed etiam ut formulas simplicissimas et experientia comprobatas consignaremus. Hanc enim esse solam viam, qua ad fortunatam praxin faciendam, juniores medici, omnium citissime praeparari possint, facile cuilibet rei perito patet.

Atque his quidem, de ratione et ordine, hujus nostri instituti, praemissis, praefandi jam finem facere possem. Ut vero juniores practici, eo faciliori cum successu, haec nostra collectanea, in usum suum convertere discant: regulas nonnullas specialiores, in exercenda praxi medica probe observandas, breviter exponere, consultum esse duximus.

Quamprimum itaque medicus, in consilium vocatus, ad lectum aegroti accedit, omnium primo, sibi caveat, ne, in periculoso imprimis atque praecipiti morbo se esse perturbatum, ambiguum, vacillantem, aegrotus et adstantes, animadvertant. Multo minus aegroti metum injiciat, vel etiam de morbo ejusque exitu, inpetu aliquo vel festinan-

PRAEFATIO.

stinando, loquatur. Hoc, utut plurimū medicorum facere soleant, eum in finem, ut, si medela morbi ex voto succedat, sibi majorem conficiant famam: maxime tamen periclitantur, ut gratiam atque fiduciam tam aegri quam amicorum effundant. Officium medici potius esse putamus, ut laeta atque serena facie, ad lectum aegri se apponat, blandisque alloquiis, animum ejus depressum, solatio erigat, eique, Deo juvante, prosperum morbi eventum praesagiat.

Hoc facto, sermone sedato, amabili, humanoque aegrum et eos qui circa sunt eum, examinando discat quae ad morbum bene intelligendum faciunt. Sexus, aetas, vitaeque cum peractae tum praesentis ratio sunt, prima, quae medicus considerare debet. Multum enim est scire, an mas, sit puer, adolescens, vir, senex: an foemina, puella, virgo, gravida, parturiens, puerpera, nutrix, effoeta. Multum quoque facit ad morbum bene cognoscendum, ut sciat medicus, quo vitae genere usus fuerit aegrotus, et quibus a juventute fuerit obnoxius, infirmitatibus. Haec, utut levidentia esse videantur, et a medicis practicis, in morborum examinibus saepe, ut superflua,

PRAEFATIO.

negligantur, magnam tamen dant medico, morbi praesentis, cognitionem et ideo omnium maxime sunt investiganda.

Sexu, aetate, vitaeque cum peractae tum praesentis statu, bene intellectis, proxime jam medico incumbit ut probe examinet ea, quae aegri singularem et proprium habitum, sive idiosyncrasiam et temperamentum declarant. Cognitis enim solidorum structura, fluidorumque propria temperie, facilius tunc quidem morbus praesens, ejusque origo, intelligi potest. Inprimis vero sedulo, animum advertat, ad ea, quae in corpore praeexistiterint ante morbum natum, quaeque proinde ut causae praedisponentes, morbum facere potuerint. Vocatur v. c. medicus ad aegrotum, aestu febrili decumbentem. Examine instituto, animadvertit, copia peccare sanguinem, et sectionem venae consuetam fuisse neglectam. Abundantia sic cognita sanguinis, ceu causa praexistens, mox instruit medicum, quid fieri debeat. Sanguinem mittere jubet. Et simili quoque modo, aliae causae praedisponentes ut v. c. cacochymia, cachexia, magna in cognoscendo et curando morbo, medico, affundunt lucem.

Ut

PRAEFATIO.

Ut eo facilius vero, proxima morbi causa investigari possit, non negligenda quoque est cognitio earum causarum, quae praedisponentem excitant et ideo morbo praesenti occasionem praebuerunt. Cum vero aeger ad haec distincte respondere non possit; medicus, se ipsum informare debet. Sollicite proinde, interrogando oportet percurrere, quatuor classes, gestorum, ingestorum, retentorum, excretorum et applicatorum. Plurimas sic quidem inter infinitas invenire poterit, causas, quae morbo praesenti dederunt occasionem, quaeque simul ipsam de iis quae sint agenda, instruunt.

His omnibus probe examinatis, propius jam, ad examen morbi accedit, et imprimis interrogat, quomodo et quibus symptomatibus, praesens inceperit morbus. Ut vero functiones laesas bene intelligat, simul debet examinando percurrere, actiones, vitales, animales et naturales. Potest itaque inquirere: an morbus cum calore vel frigore inceperit: an calor a principio ad usque hoc tempus, fuerit continuus, an vero remiserit: an pulsus sit durus vel mollis: an respirium facile vel difficile: an vires vitales

PRAEFATIO.

mox a principio morbi fuerint exsolutae et an morbo superando adhuc sufficiant. Quaerit porro an de nausea, vomitu, appetitu prostrato, aut ciborum aversatione, an de siti, magna, aliisque similibus conquestus sit aegrotus: an denique sensibus constiterit, an deliraverit. Sic enim statim, medicus intelligit, quid in singulis actionibus defuerit.

Functionibus laesis, sic quidem intellectis, excreta naturalia, quatenus morbosa sunt facta, sollicite examinanda. Praecipua sunt: sudor, urina, faex alvi, sputa, menstrua. Harum omnium qualitatem et quantitatem accurate investigare debet medicus, ut sciat, an debito naturae ordine, procedant, et quomodo, a naturali statu recedant. Si praeter haec, quae modo memoravimus phaenomena, simul attendat, ad ea incommoda, quibus aeger in hac vel illa corporis parte, v. c. in capite, pectore, ventriculo, intestinis, lumbis et extremitatibus, prae aliis adficitur; facile habebit seriem symptomatum, ex quibus determinare potest, quod nomen conveniat morbo, quae sit pars adfecta, quaeque in parte adfecta, materia peccans.

Post-

PRAEFATIO.

Postquam medicus sic quidem haec omnia bene examinaverit, eaque, eo ordine, quo se mutuo a principio morbi usque in praesens successerint, sollicite notata, comparaverit cum iis, quae in sano corporis statu, contingere solent; facile tunc quidem ipsi erit, veram morbi diagnosin ejusque causam proximam eruere. Nec difficile quoque ipsi erit ex sexu, aetate, idiosyncrasia et praegressa plethora, cacochymia, cachexia determinare, an sit spes absoluta an vero dubia, vel nulla. In hac vero prognosi facienda medicus, summam adhibere debet cautelam. Si namque aeger animadvertit, eum esse ambiguum et vacillantem, omnis ejus in ipsum perit fiducia. Si spes reconvalescentiae nulla ipsi datur, mox animo turbatur, ejusque morbus redditur pejor, et saepe insanabilis. In omni itaque casu, medicum, solatio aliquo crigere oportet, aegrotum.

Quamvis vero haec quae modo, circa diagnosin, causasque tam remotas, quam proximas et prognosin, memoravimus, bene intellexerint, juniores medici: practica tamen experientia destituti, saepe adhuc de iis, quae sint agenda, propter varietatem symptoma-

PRAEFATIO.

tum sibi contraindicantium, incerti esse solent. In hoc quidem casu prudentiae medicae esse existimamus ut incertitudinem circa agenda dissimulent. Possunt interea temporis, aliquid in victu praescribere vel medicamenta nonnulla exhibere, quae sunt innocua, ut ipsis spatium relinquatur pro deliberatione.

Postquam sibi, praevia meditatione in musaeo, accuratam atque distinctam, adquisiverint, notitiam de morbo ejusque curandi methodo: facile tunc quidem poterunt, invenire auxilia, causae tollendae apta. Notitia hac bene instructi, aegrotum denuo accedant, et examine breviter repetito, tunc quidem sub data spe fausti eventus, omnium primo diaetam vitaeque regimen praescribant, dein vero ea exhibeant medicamenta quae vel tollendae causae proximae, vel symptomatibus gravioribus mitigandis, idonea esse, censeant.

Haec vero locum tantum habent iis in morbis qui spatium aliquod pro deliberatione relinquunt. Dantur vero plurimi morbi qui citam requirunt medelam, ut v. c. apoplexia, lypothimiae, haemorrhagiae profusiores, convulsiones, qui oriuntur a veneno sumto, vel
a su-

PRAEFATIO.

a fumo carbonum fossilium aliisque. In his et similibus morbis, nullum vel breve datur tempus deliberandi. Medicus igitur sibi bene cognita reddere atque memoria tenere debet ea remedia, quae in his casibus, prodesse, longa atque repetita docuit experientia.

Quod reliquum est serio hortamur practicos juniores, ut nunquam sub initium praxeos suae heroicis utantur medicamentis, sed ea potius sibi eligant quae sunt simplicia, indigena et ab aliis practicis comprobata. Si vero interdum heroicis medicamentis uti, necessitas urgeat; nunquam id ipsum aegrotanti dicant, sed potius ea sub specie alius remedii simplicis et cogniti, exhibeant, ne sinister morbi eventus, in praedictum medicum, male adscribatur remedio. Exempli loco sint, mercurialia, cortex peruvianus, alia.

Plura nobis adhuc essent dicenda de variis medici practici officiis. Cum vero haec omnia ab aliis scriptoribus, inprimis a Clarissimo Ludwigo in sua methodo doctrinae medicae universae, satis fuse, et erudite fuerint exposita, ad perlegendum hunc libellum, lectorem remittimus.

Si

PRAEFATIO.

Si Deus det vitam, et sanitatem, neque lectori haec mea displiceant collectanea, anno proxime sequente, alteram de morbis circuli ferosi atque nervosi laticis, simili methodo, elaboratam partem, publici juris facere, in emolumentum juniorum medicorum, mecum constitui.


Valeas itaque, Benevole Lector, et has meas lucubrationes bona mente excipias. Dabam Lesnae in Polonia majori, mense Januario MDCCLXXIII.





CONSPECTUS GENERALIS.

Numerus appositus Paragraphum denotat.



DE MORBORUM UNIVERSALIUM NATURA ET DIVISIONE.

P A R S I.

De morbis universalibus Circuli Sanguinei §. 5-9

CAPUT I.

De febribus in genere 10

Sect. 1. De febribus intermittentibus in genere 35

Subsect. I. De febre quotidiana 91

Subs. II. De febre tertiana 102

Subs.

CONSPECTUS GENERAL.

<i>Subf. III.</i> De febre quartana	§. 120
<i>Subf. IV.</i> De febris duplicatis	139
<i>Subf. V.</i> De febris anomalis	147
<i>Seç. II.</i> De febris continuis	161
<i>Subf. I.</i> De febre continua simplici	171
<i>Subf. II.</i> De febre continua putrida	188
<i>Subf. III.</i> De febre ardente, f. caufa.	217
<i>Subf. IV.</i> De febre biliofa	245
<i>Subf. V.</i> De febre catarrhali benigna	268
<i>Subf. VI.</i> De febre catarrhali maligna	296
<i>Subf. VII.</i> De febre petechiali	344
<i>Subf. VIII.</i> De purpura alba et rubra	387
<i>Subf. IX.</i> De febre eryfipelacea	427
<i>Subf. X</i> De febris, fcarlatina, urtica- ta &c.	449
<i>Subf. XI.</i> De Variolis	457
<i>Subf. XII.</i> De morbillis	551

Subf.

CONSPECTUS GENERAL.

Subf. XIII. De febribus lentis chron §. 576

Subf. XIV. De febribus lentis nervosis 609

C A P. II.

De inflammatione in genere 643

Seç. I. De phrenitide 669

Seç. II. De Ophthalmia 704

Seç. III. De Angina 719

Seç. IV. De peripneumonia vera 782

Seç. V. De peripneumonia notha 824

Seç. VI. De pleuritide 841

Seç. VII. De paraphrenitide 885

Seç. VIII. De hepatitide 892

Seç. IX. De splenitide 920

Seç. X. De nephritide 926

Seç. XI. De gastritide 956

Seç. XII. De Enteritide 981

Seç. XIII. De Cystitide 1003

Seç. XIV. De uteri inflammatione 1018

CAP.

CONSPECTUS GENERAL.

C A P. III.

<i>De Haemorrhagiis in genere</i>	§. 1032
<i>Sect. I. De narium haemorrhagia</i>	1050
<i>Sect. II. De haemoptysi</i>	1069
<i>Sect. III. De Vomitu cruento</i>	1107
<i>Sect. IV. De mictu cruento</i>	1131
<i>Sect. V. De haemorrhagia Uteri</i>	1149
<i>Sect. VI. De haemorrhoidibus nimis</i>	1171





DE
MORBORUM UNIVERSALIUM
NATURA ET DIVISIONE.

§. 1.

Elementa praxeos clinicae, scripturi, ab iis nos posse incipere morbis, videmur, qui totis inhaerescunt corporibus, et ideo a medicae artis Scriptoribus, nomine morborum universalium, insigniuntur.

§. 2.

Ut vero constet, qui morbi, proprie, vocentur universales, scire licet, nos sub classe eorundem imprimis comprehendere:

- 1.) eos, qui universalia corporis fluida, eorundemque actionem in solida laedunt, et dum ita tota occupant corpora, proprie vocantur universales, ut sunt: febres, cacochymia, cachexia.
- 2.) eos, qui uni vel alteri corporis parti, quidem inhaerescunt, universalia tamen fluida laedunt, et ideo mutationes morbosas in universa machina producant, ut v. c. inflammatio visceris aut partis cujusdam, convulsio.


- 3.) eos tandem, qui ex vitio humorum universalium originem quidem ducunt, ex una vero corporis parte in alteram transeunt, simulque universam machinam laedunt, ut variae arthritidis species.

§. 3.

Cum omnis morbus, in laesione unius, vel plurium actionum corporis humani consistat: facile quoque intelligitur, morbos universales §. 2. a laesione earum imprimis actionum originem habere, a quarum integritate simul omnium totius corporis, functionum pendet integritas. — Iam vero ex physiologicis cuilibet satis notum atque perspectum esse arbitramur, omnium totius corporis actionum integritatem, pendere, a debito humorum motu per singula corporis vasa. — Idcirco morborum universalium ortum atque differentias, ex praeternaturali fluidorum universalium conditione, eorundemque laesa actione in solida dijudicari posse arbitramur.

§. 4.

Morbi, qui universa occupant corpora, actionem laesam fluidorum universalium in solida supponunt. §. 3. Iam vero tria imprimis dantur fluida universalia, quae solida humani corporis, vario modo, mutare valent, nempe: Sanguis ruber, latex seroso-lymphaticus, et fluidum nerveum. — Hinc morbos universales, pro differentia circuli sanguinei, seroso-lymphatici, atque nervei disponere, constituimus.



RATIONIS MEDENDI

PARS PRIMA

DE

MORBIS UNIVERSALIBUS CIRCULI SANGUINEI.

§. 5.

Sanguis, per vasa corporis humani ductus, statu naturali, deflectere potest, quantitate, qualitate, et motu.

§. 6.

Quantitate a statu naturali, sanguis recedit, vel copia vel inopia. Iam vero copia sanguinis nimia, sive plethora, in therapia generali ceu causa morborum praedisponens, ab artis medicae scriptoribus tractari, ejusque vero inopia sive *Κενοαγγεία*, ut effectus aliorum morborum, considerari solet. Adeoque his explicandis vitiis in tractatione morborum specialiori, nos posse supersedere arbitramur.

§. 7.

Qualitate sanguis a statu sano deflectere potest, spissitudine, tenuitate, et acrimonia varia. Cum vero haec sanguinis vitia, in therapia generali, ceu simplices morbi, pertractari soleant; lectores nostros, partim ad generalem doctrinae medicae therapiam, partim quoque ad caput de cacochymia, quae a nobis ad morbos circuli seroso-lymphatici, relata fuit, relegare satius esse duximus.

§. 8.

Morbos proinde, circuli sanguinei, exposi-
turi, de iis imprimis tractabimus, qui ex motu
ipfius laeso, per vasa corporis nascuntur, et ideo
universam machinam laedunt. — Sanguis vero,
vel nimis vehementer vel etiam nimis tarde mo-
vetur, vel denique per vasa rupta aut dilatata ef-
funditur.

§. 9.

Ad tria proinde capita, totam hanc nostram
tractationem reducemus, quorum primum agere
debet de *febris*, alterum de *inflammationibus* ter-
tium de *haemorrhagiis*.



FEBRES.



CAPVT I.

DE

FEBRIBUS IN GENERE.

§. 10.

Ex phoenomenis omnium simplicissimis, apparet, hominem tunc quidem laborare febre, quando pulsus naturali velocior, simulque functionis visceris aut partis cujusdam laesio sive debilitas, se manifestat.

§. 11.

Cum reliqua, quae febres comitari solent phoenomena, adesse, et abesse possint, febre nihilominus praesente; velocitas pulsus vero, omni febris tempore, ab initio ad finem usque praesens deprehendatur: pulsus velocitatem cum functionis cujusdam laesione, signum febris essentiale sive pathognomonicum constituere manifestum apparet.

§. 12.

Cum porro, pulsus velocior, a motu cordis frequentiori pendeat, cordis vero contractionem exacte sequatur circulatio: in omni febre sanguinis atque humorum motum, concitatiores adesse, evidenter apparet.

§. 13.

Cum denique neminem artis peritum lateat, sanum corporis humani statum ab aequilibrio perfecto

fecto inter vires vitales et animales pendere : facile ex dictis colligitur §. 10. 12. hoc aequilibrium inter actiones vitales et animales, in omni febre laesum esse.

§. 14.

Est itaque febris, proportio laesa, inter vires vitales et animales, sive vis cordis et arteriarum major, quam quae respectu virium, voluntati subditarum esse deberet.

§. 15.

Cum justo auctior vis cordis, arteriarumque, essentiam constituat febris, §. 14. omne id, quod causam sive rationem sufficientem motus cordis auctioris in se continet, erit causa febris.

§. 16.

Causa contractionis cordis velocioris est causa febris. §. 15. Iam vero ex physiologicis patet, motum cordis velociorem fieri, a velociori reciproco influxu fluidi nervei in musculos, sanguisque in vasa et cava cordis. Adeoque causa velocioris reciproci influxus liquidi nervosi, atque sanguinis in vasa et cava cordis, erit causa proxima febris.

§. 17.

Reciprocus fluidi nervei atque sanguinis influxus, in vasa et cava cordis, acceleratur a stimulo quocunque, vel a resistantia auctiori ad capillaria vasa. Id omne igitur, quod vel minima vascula obstruere, atque ideo circulum in iis inpedire, vel quod acredine sua, febrillas cordis atque vasorum irritare et constringere valet, causam febris constituere potest.

§. 18.

Sanguinis proinde circulantis interruptionem vel moram in minimis vasculis, proximam omnium febrium existere causam manifestum adparet. §. 17.

§. 19.

Frigus, pulsum velociorem atque calorem si-
ve aestum, in genere constituere symptomata,
omnibus febribus, a causa interna ortis, commu-
nia, experientia edoctus quilibet novit. Dispi-
ciamus igitur, an symptomata haec, ex modo
proposita febrium causa §. 18. explicari queant.

§. 20.

Pallor, qui durante horrore febrili, toti cor-
pori, inprimis vero labiis et extremitatibus induci-
tur, sanguinis circulantis moram, in vasculis cuta-
neis indicat. Vascula sic quidem distenta, a vitali
nervorum motu mox spastice constricta, liquida
contenta, versus vasa interiora majora, retropel-
lunt, et ita, retrogrado hoc motu humorum,
frigus, rigorem et tremorem excitant.

§. 21.

Dum durante frigore febrili, sanguis majora
vasa versus, retropellitur, horum cava seorsim
paulatimque, praeter naturam repleta, exten-
duntur. — Vasa sic quidem, ultra modum disten-
ta, faciunt, ut fibrillae, quibus membranae eo-
rundem constant, spastice stringantur, atque
ideo, majori vi in sanguinem contentum agant. —
Increfcente actione vasorum in sanguinem con-
tentum, major ejus copia ad encephalum delata,
liquidi nervei secretionem auget. — Aucta vero
liquidi nervosi secretionem, major quoque ejus co-

pia ad cordis nervos delata , validiorem cordis constrictionem efficit. Hanc vero constrictionem mox perpetua naturae lege, excipit ejus dilatatio, ab impetu sanguinis in ventriculos cordis, irruentis, excitata.

§. 22.

Validioribus his cordis atque vasorum constrictionibus atque dilatationibus reciprocis, obstructum tandem circa vasa capillaria solvitur, atque restituto sic libero sanguinis circulo, fortior, globulorum sanguineorum attritus, inter se, et ad latera vasorum excitatur. — Iam vero ex hoc globulorum adritu inter se et ad latera vasorum, calorem in corpore humano, produci, physiologi docent. — Idcirco sanguinis circulantis interruptionem et moram in vasculis minimis, indeque natam cordi resistentiam, causam sistere caloris subsequenter febrilis, manifestum apparet.

§. 18.

§. 23.

Simili quoque modo, ex hac februm causa §. 18. quae alias adfidentia vocantur symptomata febrilia, ut sunt: sitis, dolor capitis, anxietas, languor, et reliqua facile explicari et intelligi possunt.

§. 24.

Cognita sic causa februm proxima §. 18. jam ad eas breuiter indicandas progredimur, quae febris occasionem dant, et ideo causae remotiores occasionales vocantur. Cum vero ingens earundem sit numerus, neque omnibus communes, sed saepe huic vel alteri subjecto, singulares observentur; eas nos quidem secundum sic dictas

sex res nonnaturales vitiatas disponere, speculio-rem vero earundem tractationem ad capita sequentia referre constituimus.

§. 25.

In genere proinde, causae febrium occasio- nales referri possunt: ad aerem, noxiis effluviis inpraegnatum, sanguinique circulanti, admix- tum; ad cibum et potum, vel nimium et defici- entem, vel etiam ea donatum proprietate ut dige- ri atque in laudabilem chylum converti nequeat; reliqua quoque ingesta sub medicamenti vel ve- neni titulo exhibita; ad exercitationem corpo- ris excedentem, vel nimiam quietem: ad so- mnum et vigiliis excedentia; ad retenta quae excerni, et excreta quae retineri debent: ad animi tandem pathemata.

§. 26.

Quoad prognosin, in genere notandum; fe- bres cuiuscunque generis, eo leviores, brevi- ores, magisque salutiferas esse, quo facilius obstaculum circa vascula extrema natum, solui, stimulusque sopiri possit: eo periculosiores con- tra existere quo major vis stimuli irritantis, at- que lentor obstructi, deprehendatur.

§. 27.

Febres quasfcunque terminari, vel in sani- tatem, vel in alium morbum, vel denique in mortem, cuilibet rei perito, notum est.

§. 28.

In sanitatem perfectam febres terminantur, si materialis et obstruens morbi causa, vi vitae, subacta, soluta et mobilis reddita, vel absque
crisi,

crisi, per insensibilem perspirationem, vel si retineat dotem, quae repugnat aequabili circulationi, per sensibiles evacuationes e. g. per sudores, diarrhoeas, vel lotium copiosum, debita praegressa coctione, critice evacuatur. Utrouque modo, aufertur id, quod obstaculo aut stimulo suo fecerat febrem, et ideo integritas functionum laesarum, sive sanitas restituitur.

§. 29.

In alium morbum febres ex triplici inprimis causa terminari cognoscimus, nempe:

- 1.) Si causa febrilis non omnis, vi vitae, resolvi, atque evacuari potest, atque ideo pars materiae obstruentis, atque irritantis, non satis soluta et subacta in corpore remanens, functiones, huius vel illius visceris aut partis turbat, et novo morbo fomitem praebet, quamvis motus febriles ob propriam aegri debilitatem vel ob inordinatum atque perversum vitae regimen suffocentur vel plane cessent.
- 2.) Si febre magna, nimis diu protracta, liquidiora dissipantur. Sanguis enim sic quidem inspissatus, et ad circulum per vasa capillaria, minus aptus, in hoc vel illo viscere, cujus integritas ad vitam non absolute requiritur, haerere incipit, et ita morbum novum chronicum producit. Inde tumores viscerum, et glandularum indurationes saepe nascuntur. Eadem quoque vi nimia actionum vitalium materia febrilis saepe deponitur in vascula obstructa, dilatata et rupta, hinc febris in alios morbos, e. g. in maculas rubras, pustulas, erysipelas,

las, phlegmonem, parotides, bubones, abscessus, degenerat.

- 3.) Si denique perversa adhibita medela, motus febriles intempestive per medicamenta febrifuga supprimuntur, prius quam causa materialis, soluta, correcta et de corpore expulsa fuerit. Ex hac intempestiva motuum febrilium suppressione, saepe contumacissimi et ut plurimum insanabiles morbi, in praxi medica occurrunt.

§. 30.

In mortem tandem definit febris, si per ejus nimium inpetum, liquida C. H. ita depraventur, ut immeabilia facta, organa inprimis vitalia, ut sunt pulmones et encephalum, obstruant et solvant, vel simili modo restaurationem perditorum per vasa venosa in externa et interna corporis superficie numerosissimis osculis hiantia, impediant. Utraque ratione, actio tollitur cordis, vitaeque esse definit.

§. 31.

Ex iis, quae de natura, causis, et exitu febrium fuerunt exposita, satis evidenter apparet, veram febrium medelam, his potissimum absoluti indicationibus, nempe:

- 1.) Ut vitae et viribus, cibo et potu, genio febris et temperamento aegroti bene accommodato, consulatur.
- 2.) Ut motus febriles, quorum auxilio, causa morbi est superanda, ita moderentur, ut nec multum excedant nec torpeant.
- 3.) Ut acre irritans corrigatur, demulceatur, expellatur, lentor vero obstruens solvatur attenuetur, exterminetur.

§. 32.

§. 32.

Sanationem itaque febrium fuscipienti, imprimis incumbit, ut sequentes generales medelae leges probe observet:

- 1.) Si impedimentum sanguinis circulantis, circa vasa capillaria ex abundantia ejus sive plethora originem repetere animadvertatur; itatim ab initio morbi, sufficiens sanguinis copia, ex vena secta ducenda.
- 2.) Cruditates, quae in ventriculo et intestinis haerentes, vel mola sua, vicina vasa mesaraica comprimere, vel acredine fibrillas spastice constringere, et ideo circulum sanguinis suffocare solent, primis post febris accessum, diebus, vomitorio, purgante antiphlogistico, enemate, evacuandae.
- 3.) His praemissis, acre irritans, si causam obstructionis febrilis constituit, pro varia sua indole, variis auxiliis, imprimis vero humectantibus externis et internis, dein diluentibus atque demulcentibus, iis imprimis, quae putredini resistunt, corrigendum, ut a natura per vias excretorias debito tempore eliminari queat. Huic indicationi imprimis satisfaciunt; infusa quaecunque calida ex herbis huic negotio propriis parata; decocta quoque avenacea, hordeacea, nitro et acidis vegetabilibus et mineralibus, remixta, serum lactis acidulum, hydrogala et alia, parva dosi, magna tamen copia assiduo ingesta.
- 4.) Viscidum, quod in vasis capillaribus haerens, febris causam constituit solvitur atque mobile redditur, omnibus iis remediis, quae inpetum febrilem ad justum moderamen
redu-

reducunt, omnemque humorum massam diluunt atque resolvunt, quod fit potu aquoso diluente, leniter salino et aromatico, balneo, fotu, clysmate.

5.) Si causa obstructionis febrilis, in nimio elatere fibrarum detegitur, medicamentis diluentibus et resolventibus simul addantur emollientia: Si vero fibrae vasorum nimium relaxatae in causa sint, roborantia et subadstringentia amara simul in usum vocanda.

6.) Si tandem in petus nimius febrilis a spastica vasculorum minimorum contractione proficiscitur; opiatibus tunc quidem medicamentis caute et prudenter adhibitis, spasmus in minimis vasis solvatur et ita corpus ad lenem diaphoresin disponatur.

§. 33.

Ex hac, a nobis proposita, medendi methodo, satis intelligitur, quibus auxiliis, causa febris proxima, diluendo, et solvendo, ita praeparari possit, ut debito vitae regimine observato, febris ipsa, debito tempore, crisi salutari solvatur. Cum vero, febrim, saepe iungantur symptomata, quae adeo sint, molesta, ut a viribus vitae, aut a patientia aegroti, vix ferri possint; officii tunc quidem medici esse putamus, ut simul, ea propriis suis remediis lenire et amovere studeat. Quibus vero auxiliis hoc obtineri possit, in specialiori, febrium tractatione indicabimus.

§. 34.

Febris, motum febrilem semel excitatum, vel a principio ad finem usque, sine intermissione

ne perducit, vel diversis accessionibus, stato tempore redeuntibus, decursum suum absolvit. Prior species febrium vocatur, *continua*, altera *intermittens*. Quae in his febrium diversis speciebus occurrunt notanda, iam fufius indicare constituimus.

SECTION I.

DE FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS IN GENERE.

Theoria morbi.

§. 35.

Cum variae, ab artis medicae scriptoribus, notentur, species febrium intermittantium, quae ratione symptomatum, causarum, et methodi medendi parum differant: primo quidem ea, quae communia sunt omnibus, dein vero, quae in singulis earundem speciebus occurrunt notanda, exponere constituimus.

§. 36.

Febris intermittens communi medicorum consensu, vocatur ea febris §. 10. §. 14. quae, diversis accessionibus, stato tempore redeuntibus, suum absolvit decursum §. 19. ita ut inter singulas accessiones, perfecta intercedat apyrexia sive integritas.

§. 37.

Manifestum proinde apparet, hanc, duos sic dictos paroxysmos, intercedentem integritatem §. 36. febrium intermittantium, caracteristicam constituere notam, qua quidem ab omni
alia

alia febrium specie, optime eas distingui posse existimamus.

§. 38.

Distinctionem febrium intermittantium in classes varias, soli differentiae temporis, quod inter singulos paroxysmos, intercurrit, inniti, cuilibet notum est. Quae enim quotidie renascitur febris, *quotidiana*; quae alternis invadit diebus, *tertiana*, quae vero quarto quovis die revertitur *quartana* vocatur.

§. 39.

Sunt, qui febres intermittentes, quintanas, sextanas, et septenarias, observasse testentur. Cum vero illae, si aliquando existant, priorum §. 38. sequantur indolem, neque normam medendi, in praxi medica, mutare observentur; considerationibus earundem, immorari superfluum esse arbitramur.

§. 40.

Accuratioribus vero medicorum observationibus docent, interdum fieri, ut intra tempus, uni paroxysmo febrili et apyrexiae subsequuturae, destinatum duplex sibi respondens, aegrum infestare soleat paroxysmus. Vocantur tunc quidem hae febres intermittentes, *duplicatae*, quae cum magnas saepe in praxi medica, creare soleant molestias, ad eas probe cognoscendas, medicum sedulo animum advertere oportet, ne pro continuis habitae, incongrua tractentur methodo.

§. 41.

Ob varietatem quoque symptomatum, exitus, durationis et modi sanandi, illa distinctio,
B
quam

quam faciunt autores, inter febres intermittentes vernaes et autumnales, notatu digna esse videtur. Priores mense ut plurimum februario, posteriores vero Augusto mense incipiunt.

§. 42.

Singuli febrium intermittentium, paroxyfmi, tribus potiffimum abfolvuntur ftadiis, quae a quocunque facile dignofci poffunt. Primum ftadium vocatur *horroris*, alterum *aeflus*, tertium *remiffionis*.

§. 43.

Praecipua, et vix non femper praefentia fymptomata, quibus primum febris abfolvitur ftadium, inprimis haec effe obfervantur, nempe: languor corporis, ofcitatío, pandiculatio, horripilatio, horror, frigus, extremorum pallor, pulfus citatus, debilis, parvus, refpirium difficile, anxietas, naufea, vomitus, fitis, urina cruda pallida. —

§. 44.

Hoc ftadium §. 43. mox excipit alterum, cuius praecipua phoenomena funt: calor plus minus infignis, refpiratio fortior, major, liberior, anxietas minor: pulfus major, plenior, robuftior: fitis et capitis dolor moleftior, urina rubra.

§. 45.

Dum haec §. 44. per aliquot tempus durarunt fymptomata, aeflus et quae ipfum comitantur phoenomena reliqua, fenfim fiunt mitiora. Pulfus redditur aequalis plenus, mollis. Cutis ficca fit madida, atque largo faepe fudore perfunditur.

funditur. Urina redditur crassa turbida et sedimentum lateri contuso simile ponit. Somnus sequitur tandem tranquillus et aeger praeter lassitudinem atque debilitatem nulla insignia valetudinis adversae incommoda sentit. Hoc stadium vocatur remissionis.

§. 46.

Post accuratum examen totius historiae februm intermittentium §. 43. 44. 45. facile cui-libet artis indagatori, patebit, *causam proximam* earundem consistere in sanguinis, forte et liquidi nervei lentore, et inde nata ineptitudine, ad liberum et expeditum motum circulatorium per minima corporis vasa.

§. 47.

Hac posita humorum conditione §. 46. omnium phaenomenorum, quibus paroxysmi absolvuntur febriles, rationem sufficientem dare nos posse nulli dubitamus. Dum enim fluida, ob lentorem sive visciditatem, minima corporis vascula libere transire nequeunt; sanguinis tunc sequitur interruptio et mora, interea quoque fibrillarum vasculorum extremorum spastica contractio, atque ideo humorum ex partibus extremis ad interiora repulsio. Unde ratio horro- ris, frigoris, et reliquorum phaenomenorum, quae in primo febris stadio observantur §. 43. explicari potest.

§, 48.

Dum porro haecce humorum versus interiores corporis partes retropulsio §. 47. continuat: fluida, majori copia, in organa vitalia irruentia, cor et arterias ad validiorem in sanguine

propellendo, excitant motum §. 21. — Hunc motum sequitur, fortior globulorum inter se et ad latera vasorum attritus, ex attritu vero calor febrilis §. 22. et quae hunc comitantur symptomata §. 44. — Sub hoc porro calore, lentor, in minimis vasculis stagnans §. 46. tandem subactus et mobilis redditus, partim per emunctoria propria critice expellitur, partim, in venas latiores movetur, atque ita paroxysmus febrilis finitur, et aegrotus praeter lassitudinem nulla sentit valetudinis adversae incommoda §. 45.

§. 49.

Cum statis diebus, redeant periodi febrium intermittentium §. 36. facile intelligere datur, non omnem, uno paroxysmo febrili, subigi atque expelli de corpore materiam febrilem. Quae igitur remanet in corpore materia viscida et tenax, vasis venosis tradita, ad eorundem latera, tarde voluta protruditur, neque ullum sensum tensionis efficiens, tandem omnis in truncis venarum maximis nempe, cavae et pulmonalis, congeritur, et cordis ventriculis reddita, constanti naturae lege, per systema arteriosum de novo distributa, in vasculis minimis, similem ut in praecedenti paroxysmo, obstructionem et inde nascentem febrem §. 46. excitat. Idcirco materiae febrilis diuturnior aut brevior mora in venis, tempora recursus paroxysmorum et ideo eorundem differentias §. 38. determinat.

§. 50.

Crebriori experientia edocti, novimus, *causam remotam praedisponentem* febrium intermittentium, potissimum, in colluvie viscida et tenaci, saepe

saepe acida et biliosa, in primis viis, haerente, chylumque et sanguinem inquinante, esse quaerendam.

§. 51.

Causae occasionales vero, quas ex vitiatis sic dictis sex rebus non naturalibus determinare solent autores, §. 25. praecipuae habentur: victus viscidus glutinosus, perspiratio suppressa, animi pathemata tristia, vita otiosa sedentaria, usus quoque perversus aquarum mineralium ante evacuationem primarum viarum instituta.

§. 52.

Si jam adtente perpendantur, ea, quae de indole febrium intermittendum, earundemque causis, fuerunt exposita: qualis sit exitus earum, jam facile determinari potest. Praeter dicta §. 26. 28. 29. 30., igitur sequentia formandae prognosi sufficiant:

- 1.) Febres intermittentes exquisitae et regulares, in corporibus ceteroquin sanis, nullius periculi sunt, et sub debito victus regimine ut plurimum per se, vel uno aut altero dato remedio evacuante finiuntur.
- 2.) Vernales intermittentes salutare ut plurimum sunt, et raro diuturnae, imo potius corpora ab inveteratis malis depurant et ad longaevitatem disponunt. Sibi relictae sponte cessare solent, aut si requiratur medela facile eam admittunt. Autumnales contra non adeo levi opera sanari possunt, imo saepe ob diuturniores et duplicatos paroxysmos, continuarum aemulantur indolem, atque aetate provectoribus et

cacochymicis corporibus saepe lethales fiunt.

- 3.) Quae, corpora labe visceris cujusdam affecta ingrediuntur, operosiores et difficiliorem admittunt medelam, et saepe, inprimis si perversa tractentur methodo, in febres continuas, languores et cachexias desinunt.
- 4.) Lethales interdum fiunt, quando materia febrilis a viribus vitae subigi atque eliminari nequit, tunc enim sub frigore febrili, materia haec viscida et tenax, ad pulmones delata, catarrhos suffocativos efficere solet.

Modus sanandi.

§. 53.

Cum provida natura, saepe absque ulla adhibita medela, per febres intermittentes exquisitas, materiam morbi, resolvere, atque exterminare observetur, et ideo veram exerceat virtutem medicatricem; optima, eas sanandi methodus, in eo consistere videtur, ut talia adhibeantur remedia, quae materiam obstruentem, solvunt, stimulum obtundunt et utrumque per vias naturales expediunt. Hoc enim modo, id quod fecerat morbum eliminatur de corpore, et circulo sic restituto, sanitas redit.

§. 54.

Medico proinde, curam febris intermittens, suscipienti, omnium primo incumbit, ut victum, sive usum sex rerum non naturalium, probe determinet, quarum abusu febrim fuisse inductam cognoverit, sequentes proinde regulae diaeteticae strenue sunt observandae.

1.) Viten-

- 1.) Vitentur omnes cibi, qui non facile se ad-
similari patiuntur, in nostram naturam, qui-
que tantum a validis, digestionis organis
subigi et digeri possunt. Hujus generis
sunt: opima pinguis, sale et fumo indurata,
praesertim vero caro suilla et aliae carnes
viscidae et pingues: olera, legumina, ut pi-
sa et fabae, porro quoque lacticia et fa-
rinacea non fermentata.
- 2.) Profunt, panis bene fermentatus, non re-
cens, et quae ex eo parantur alimenta:
omnes carnes bonae notae, fructus horraei
siccati et cocti.
- 3.) Cavendum, ne cibi etiam facilioris dige-
stionis, nimia exhibeantur copia, et ne
dentur circa tempus, quo novus expecta-
tur paroxysmus.
- 4.) Moderata, tempore integritatis, svadean-
tur corporis exercitia, ut adsimilatio inge-
storum, excretionisque per alvum, uri-
nam, et transpirationem promoveantur.
- 5.) Somnus sit paulo longior, quo corpus a
febre, debile factum blanda refocilletur
quiete.
- 6.) Aer in quo versatur aeger, sit purus et
tepidus, ne corpus refrigeretur, et perspi-
ratio libra turbetur. Animi adfectus sint
moderati.

§. 55.

Victu sic ordinato, medentis officium est,
ut attendat diligenter ad ea signa, quae abun-
dantem viscidam atque pituitosam colluviem, in
primis viis haerere, docent. Talem vero ad-
esse, cognoscit, ex ingluvie praegressa, et ab-
usu ciborum pingvium, glutinosorum, aliorum-

que difficilioris digestionis §. 54. praecipue vero ex nausea, vomitu spontaneo, ructibus, halitu, fordibus linguae, appetitu, delecto, sensu anxietatis, et tensionis circa praecordia.

§. 56.

Ubi proinde constiterit ex signis §. 55. faburram viscidam in primis haerere viis: illam quantocyus eliminandam esse quilibet intelligit. Eliminatorio vero colluvies haec viscida et tenax, vel vomitorio, vel purgante.

§. 57.

Vomitorium indicant: oris amaror, nausea, vomitus spontaneus, tenebriosa vertigo. Purgans vero remedium; lumborum dolor obtusus, borborygmi, flatus, abdominis tumor. Utrumque datur eo tempore, quo abest febris, ita, ut ante accessum sequentis paroxysmi, operatio eius sit absoluta.

§. 58.

Si itaque signa indicantia modo commemorata §. 57. adsint, neque vomitorio exhibendo repugnent alia sic dicta contraindicantia, ut sunt: proclivitas ad haemoptysin, et ad sputum vel vomitum cruentum; herniae, graviditas, puerperium et alia; tunc quidem aegroto, tempore apyrexias, ventriculo jejuno, pulvis F. 1. vel etiam potio F. 2. detur, et ab initio parum fluidi, quam primum vero sequitur vomitus, multa aqua calida pinguis aut infusum herbae Theae, cum multo saccharo, ad operationem pharmaci facilitandam, post singulos vomitus exhibeatur.

§. 59.

Si vomitorium non indicatur, vel etiam ob contraindicantia §. 58. tuto exhiberi nequit, tunc quidem alvus a colluvie pituitosa atque biliosa, cujus praesentia ex signis §. 57. colligitur, omnium facillime remediis evacuantibus, expurgatur, ita ut debilioris constitutionis aegrotis, remedia F. 3. 4. 5. 6. 8., robustioribus vero F. 9. 10. 11. exhibeantur.

§. 60.

Si aeger debilis constitutionis, adfectioni hypochondriacae, obnoxius vel etiam inflati stomachi, alvique obstructioris est: profunt clysmata carminativa et emollientia F. 12. item pilulae balsamicae Hoffmanni vel Sthalii ad novem vel duodecim pro dosi, praemittendo vel postponendo aliquot horis, salis polychresti, vel digestivi Sylvii, in aqua soluti drachmam dimidiam.

§. 61.

Fieri haud raro solet, ut omnis faburra viscida, ex primis viis, uno vel altero remedio evacuante, eliminari nequeat. Hoc ex symptomatibus §. 55. 57. post operationem pharmaci adhuc perdurantibus, facile dignoscitur. Medicamenta tunc quidem digestiva et resolventia salina et amara, per aliquot dies continuanda F. 13. 14. quo materia febrilis, mobilior facta, dein usu purgantis repetito, omnis expurgari possit.

§. 62.

Si evacuationibus sic quidem peractis §. 58. 59. 60. inpetus febriles, haud reprimantur: in massa sanguinea, minimisque vasorum et viscerum

rum recessibus absconditam adhuc latere pituitosam materiam, conijcere licet. Haec itaque materia febrilis, remedijs congruis ita corrigi et mutari debet, ut ad evacuandum per communia corporis colatoria, apta evadat.

§. 63.

Indicationi huic §. 62. vero inprimis omnia ea satisfaciunt medicamenta, quae sub classe incidentium, resolventium et diluentium, comprehenduntur. Inter priora, principem tuentur locum, omnia salia mediae naturae, porro quoque vegetabilia amara et amaricantia, specifico antifebrilium titulo insignita, qualia sunt, herbae centaurei minoris, cardui benedicti, absinthii, flores chamomillae vulgaris, radices gentianae rubrae, galangae. Posterioribus nempe diluentibus adnumerantur, decocta hordeacea, avenacea, aliaque ejus generis ex radicibus mucilaginosi parata infusa et decocta.

§. 64.

Tempore apyrexias proinde, detur bis de die, nempe mane et vesperi, unus ex pulveribus F. 13. 14. cum aqua aut roob sambuci, atque duo aut tria vascula infusi F. 15. calide cum vel sine saccharo bibantur. Hora, ante prandium et quarta post meridiem vero mixtura F. 16. sive essentia F. 17. exhibeatur. Pauperibus dari potest decoctum saturatum herbarum antifebrilium, F. 18.

§. 65.

Aegroti saepe, ob nauseam pulveres modo praescriptas fumere nequeunt, vel ab iis molestum in pectore et ventriculo sentiunt, ardorem;

Ut

Ut itaque remedium palato, minus ingratum fiat, loco pulverum electuarius exhiberi potest. F. 19.

§. 66.

Soluta, atque mobili sic reddita materia febrili, hora una aut altera, ante febris accessum in lecto decumbat aegrotus, stragulisque modice tectus, omni quadrante horae, bibat decocti calidioris F. 20. 21. uncias binas, ut sudore subsequente moderato, frigus febrile, proindeque futurus praescindatur paroxysmus. — Decocta haec diluentia continuentur, omni quadrante hora, donec binae ultra tempus initii, paroxysmi sint elapsae horae. Si vero frigus febrile sub usu eorundem accedat, a regimine sudorifero abstinendum, sequentibus diebus denuo repetendum.

§. 67.

Notandum, vero, hanc per sudorifera remedia, institutam curam, minus convenire, imo noxiam esse, si febres recentes adhuc, typum nondum certum servant; vel etiam si aegrotus ex propria temperie dissolutum admodum habet sanguinem et ex debilitate ad sudores proclivis est.

§. 68.

Remedia haec §. 64. 65. 66. Sub accurato vitae regimine §. 54. per unam aut alteram continentur septimanam, donec ex remissione symptomatum, ex urina cocta, reliquisque se et excretionibus rite procedentibus, pateat, materiam morbi, maximam partem esse correctam, subactam, expulsam. Si tunc febris cessat, per octo adhuc dies remedia F. 16. 17. vel his similia F. 22. 23. continuentur.

§. 69.

Si observatis his omnibus, paroxifmi febriles non penitus remittunt, conjicere tunc datur, laxitatem atque debilitatem systematis nervosi esse in causa, cur, quae in minimis viscerum recessibus haeret materia febrilis exigua quamvis copia, omnis superari nequeat. Idcirco tunc quidem in usum vocanda sunt roborantia efficaciora, inter quae cortex peruvianus ad dimidiam vel integram unciam, divisis dosibus, aequali temporis intervallo, a pyrexias tempore, vel in substantia vel alia quacunque forma exhibitus, F. 24. 25. 26. 27. 28. 29., omnibus reliquis facile palmam praeripit.

§. 70.

Ne profligata sic quidem febre, viscidum, seu causa morbi, colligatur de novo; exactum victus omniumque rerum non naturalium regimen, supra descriptum. §. 54. probe observandum. In primis vero sibi caveat aegrotus ab aere frigido, humido; corpusque, quantum fieri possit, exerceat motu, atque parca copia et repetitis vicibus, cibis facillioris digestionis, utatur; — A laxantibus remediis, quae a nonnullis, pro eliminandis, quae adhuc superesse supponunt, impuritatibus praescribuntur, abstineat. Lenissimum enim enema, saepe aegrum in recidivae discrimen conjecisse, experientia nos docuit. Per duas aut tres septimanas potius roborantia F. 16. 17. aegrotus sedulo continuet, atque restauratis sic quidem viribus tandem, si opus, leniora laxantia aliquoties repetita sumat.

§. 71.

Hac itaque methodo, a nobis praescripta, omnis generis febres intermittentes, facile et tuto

to profligari posse, cuilibet rei perito, facile patebit. Superest ut jam de iis verba faciamus, quae durante paroxysmo sint observanda. Saepe enim adeo urgent symptomata, ut necesse sit ea mitigare.

Symptomatum mitigatio.

§. 72.

Frigus febrile nimis vehemens et diuturnum, corporibus debilioris constitutionis, adeo molestum, optime mitigatur, dum regioni epigastricae, spiritus vini rectificatus cum aliquot guttulis olei menthae remixtus, in linteo duplicato, calide inponitur. Simili modo profunt saeculi ex herbis menthae, absinthii, chamomillae romanae et caryophyllis, ex vino gallico cocti et bene expressi. — Idem hoc symptomata, atque sitis, quae non raro durante frigore urgere solent, mitigantur, infuso Theae calido, cum citri recentis flavedine; vel infuso florum sambuci, cum pauco melle remixto, sufficienti copia sed vicibus repetitis hauriendo. F. 30.

§. 73.

Nausea et Vomitus, quae sub frigore febrili vel circa ejus remissionem urgere solent, mitigantur, dum colluviei in primis viis haerenti, haustu aquae tepidae cum oxymelle scillitico, remixtae, vel remediis similibus F. 31. 32. paratur exitus. Sacculi quoque descripti §. 72. eodem fine, ad solvendas spasticas ventriculi stricturas in usum vocari possunt.

§. 74.

Aestus gravior et sitis, mitigantur, potu diluente acidulo, frigidiusculo, sufficienti copia, sed

sed parvis haustibus, sumto. Infusum crustae panis, cui citri succus et parum sacchari additur, item infusum theae, citri succo acidulatum, et tisana ex hordeo parata atque succo limonum vel syrupo rubi idaei remixta et similia facile reliquis palmam praeripiunt. Aeger quoque decumbat in lecto, stragulis leviter tectus, ne calor febrilis propriae atmosphaerae calore augeatur. Si anxie tandem, in nimis diuturno calore aegrotus appetat remedium, praeter infusa modo praescripta julapia varia ex aquis destillatis temperantibus cum syrups acidulis exhiberi possunt. F. 33.

§. 75.

Dolor capitis gravior, levatur, vel fascia, qua caput constringitur, vel epithemate, ex amygdalis amaris contusis cum aceto vini madefactis. Exhiberi quoque possunt temperantia interna modo descripta. §. 74.

§. 76.

Si calore febrili remittente, cutis externa madida fieri incipit, *sudoris* eruptio, quidem infuso aquoso herbarum scordii, florum sambuci et similia promoveri potest. Si vero nimis copiosus, anxietates atque debilitatem in subjectis constitutionis tenerioris producit, praestat aegrum cardiaco reficere medicamento. F. 34.

§. 77.

Diarrhoea finito paroxysmo, a natura, excitata, una vel altera dosi refracta rhabarbari, juvanda. *Diuresis* vero critica essentia pimpinellae albae cum liquore terrae foliatae tartari remixta, potuque diluente aquoso copiose hausto, promoveri potest.

Monita practica.

§. 78.

Emetica atque *purgantia*, non promiscue, in omnibus febribus intermittibus, sed in iis tantum esse exhibenda, ubi corpora omnino impura deprehendantur, post Hippocratem, Sydenhamus, Boerhaavius, aliique confirmant. — Si itaque ea dandi vera est indicatio, caveat sibi medicus, ne crebro nimis eorundem usu, digestiones ingestorum turbet, sicque diurnitatem morbi, ejusque in febres continuas, languores, et cachexias transitum faciliat. — Hujus generis quoque remedia, si quando iisdem opus, in accessione et mox ante paroxysmum, nunquam tuto exhiberi posse, multiplex experientia edocti novimus.

§. 79.

Cum *sudorifera* fortiora, febres intermittentes exquilitas, saepe in acutas continuas, anomalas, malignas, mutasse, experientia doceat, praecipue in eas, quae indolem aemulantur continuarum; consultius nos esse putamus aegrotum neque extra paroxysmum, neque sub finem ejus, stragulis obrutum, ad sudores per medicamenta calidiora cogere; — Sufficiant ad salutarem promovendam diaphoresin, infusa supra descripta. F. 20. 21. vel si opus, spiritus Mindereri diaphoreticus, qui absque exaestuatione cuticularem excretionem promovet. F. 35.

§. 80.

Venaesectio ad profligandas intermittentes febres, per se non adeo opportunum sed ut plurimum infidum auxilium est. — Nisi casu proficit, febres

febres diuturniores reddit. — Cum vero experientia doceat, saepe a motu febrili vehementiori, sanguinem nimia copia, nimioque inpetu ad encephalum et pulmones delatum, nocere itagnando, obstruendo, et inflammando; eam non in omni febre intermittente esse rejiciendam, facile patet.

Signa vero quibus venaesectio in intermittibus prodesse cognoscitur imprimis sunt: Si aeger, aetate floret, sanguineoque temperamento, praeditus validos patitur paroxysmos, et simul capite vehementer dolet. — Porro quoque, si facies sanguine turget, pulsus etiam post paroxysmum plenus et durus est, tussis divexat, atque urina et lingua sicca sunt. Sub his enim conditionibus, si negligitur missio sanguinis, facile omnia ea oriuntur mala, quae a nimia sanguinis copia et rarefactione oriri solent.

Praemittenda quoque indicatur solutio venae, si emetico est opus ad sanandam febrem, in corpore plethorico, ne vasa a sanguine nimium distenta sub operatione pharmaci disrumpantur.

§. 81.

Motus febriles, ab initio statim, cortice peruviano, aliisque adstringentibus remediis, absque praevia materiae febrilis correctione et expulsiōe, suppressi, saepe morbos, febre longe periculosiores ut v. c. hydropem, icterum, phthisin et alia causare observantur mala. Summa hinc opus prudentia, in exhibendis omnis generis adstringentibus remediis.

§. 82.

Methodus, per *nimiam*, a cibis, *abstinentiam* curandi, febres intermittentes, vix non semper male

male succedit. Hinc tantum caveant sibi aegroti, ne cibos sumant digestionis difficilioris et ne onerent nimia copia ventriculum praesertim circa illud tempus, quo expectatur paroxysmus. — Extra paroxysmum quoque tuta nunquam deprehenditur exacta nimis et tenuis diaeta, sed tanta potius exhibenda sunt alimenta, quae consuetudo, facilisque eorum tolerantia concedunt.

Si paroxysmi febriles, ab initio sint nimis violenti, vel si sub ipso paroxysmo, periculosiora urgeant symptomata ut v. c. sopor apoplecticus, cardialgia vehemens, dolor capitis acutus et alia; tunc sine mora praemisso aliquo laxantes, cortex in sufficienti doli exhibeatur, quamvis obstructions hypochondriorum nondum sint reseratae.

§. 84.

Quodsi porro, ob symptomata urgentia, ante sufficientem materiae febrilis correctionem, cortice profligatae febres §. 83. languorem, ponderisque gravantis sensum circa praecordia et alia mala relinquunt; tunc quidem non tutum est, corticis continuare usum, sed potius ea adhibere convenit remedia, quae dicuntur solventia, et deobstruentia, atque viribus sic quidem aliquo modo refocillatis, uno vel altero remedio purgante, febrem revocare.

§. 85.

Symptomata quaecunque, stas horis revertentia, v. c. palpitationes cordis, magnae pectoris anxietates, tussis violentae inanes, dolores capitis ingentes, aestus sine frigore praegresso, visus amissio, dolores colici atroces, et alia, eodem modo, ut febres intermittentes usu corticis sanantur.

§. 86.

Cum febres intermittentes, quae diu infestant, summam saepe, vasis et visceribus, inducant debilitatem: ex hac vero debilitate facile hydrops nascatur: facile quisque intelligit: corticem in tumoribus hydropicis ex debilitate partium solidarum, ortis, optimo cum successu exhiberi posse.

§. 87.

Tumores oedematosi, in adultis, atque etiam illi, qui in tenera aetate abdominis regionem, praecipue circa lienem, occupare solent, in febribus diuturnioribus, observante SYDENHAMO, nullius discriminis sunt, sed febrem abituram indicant et vel sponte vel levi frictione disparent. — Quae vero generata tumorum, viscera vel thoracis vel ventris, altioribus infarciunt obstructionibus, non adeo levi opera, se amovere patiuntur, sed multo labore, multoque tempore opus est, ante quam oppillatio haec viscerum remediis solventibus referari, atque debilitas superstes cortice emendari queant. — Si materia visceribus inhaeret irresolubilis atque scirrhusa; simulque icterus niger atque hydrops simpliciter ascites sive cysticus jungitur: inevitabilis sequitur mors.

§. 88.

Si excrementa alba et argillacea, bilis defectum atque obstructionem hepatis indicant, per aliquot dies, pillulae ex sapone veneto, cum paulillo aloes, optimo cum effectu exhiberi possunt.

§. 89.

Infarctus quoque systematis venae portarum ab atra bile, causam proximam intermittentium, prae-

praesertim quartanae, saepe constituunt. In hac morbi conditione, sectio venarum haemorrhoidalium, febrem saepe tollit.

§. 90.

Remedia, in profligandis febribus intermittentibus, insigniora, praeter jam memorata sunt, quae sequuntur:

1.

℞. Syrup. diacod. ℥℞
 Aqu. flor. rhoead. ℥ij.
 Spir. sulph. per camp. ℥℞.

M. F. haustus, qui hora una ante febris, insultum, sumtus, saepe pertinacissimas febres, etiam contra corticem rebelles fugat. Qui vero hoc utuntur remedio, eorum pulmones integri esse debent. ST O E R K.

2.

℞. cort. peruv. opt. ℥℞.
 oculor. cancror. ℥iij.
 Antim. diaphor.
 conch. calcinat. ana ℥ij.
 rad. gent. alb. ℥i.

M. F. pulv. divid. in 12 partes aequales, quarum unam, aeger sumat statim post paroxysmum finitum, et sic unam omni trihorio vel quadrihorio ita ut omnes ante novum accedentem paroxysmum absumat. Hi pulveres statim febrem fugant, ita ut nunquam fere opus sit repetitione. Lenissimo tantum opus purgante, elapsis quindecim a febre diebus. H A E N

3.

R. rad. gramin.
taraxac. ana ℥ iß.

Minutiff. conc. et diu tusa, coqu. in aqua pur. bihorio. Colatur fortiter express. Libr. j. adde

Oxymell. simplic. ℥ ß

Salis polychr. ℥ vi.

D. S. omni bihorio uncia pro dosi.

Decoctum hoc, obstructions viscerum, imprimis hepatis potenter referare et ideo febres, earundemque effectus tollere observatur. Praestat illud in febribus diuturnioribus, usui corticis praemittere, ne febre sublata, materia obstruens remaneat. H A E N.

4.

Semina paslinacae, ad drachmam sumpta, uti etiam *testae ovorum calcinatae* in pulvere, bis vel ter de die, ad drachmam dimidiam, exhibitae febres intermittentes profligare adferit. S A N V A G.

5.

Cortex salicis vulgaris albae, ex ramis minoribus, trium vel quatuor annorum desumptus, siccatus et in pulverem redactus, quarta quavis hora, inter paroxysmos ad scrupulum unum vel duos, datus, febres intermittentes perfecte sanat, imprimis si in pertinacissimis febribus, quarta pars corticis peruviani admisceatur. Sine ullis remediis praeparantibus eum exhiberi posse adfirmatur. TRANSACT. ANGLIC. Vol. LIII. p. 195.

6.

Decoctum *fabarum Coffee*, quod paratur, si drachma una et semis, pulveris ejus, in unciis tribus

tribus aquae ad dimidietatem usque coquitur, atque facta colatura, cum aequali portione succi citri recentis vel limonum remiscetur, die intercalari, mane jejuno ventriculo, sumtum, febrem tollit. Hora vero post sumtum decoctum, jusculum carnis meracius bibat aegrotans, et eo die in lecto quiescat.

7.

℞. Nuc. moschat. ust.
Nucleor. persicar.
Amygd. amar. ana ʒi.

M. F. pulv. cum vino, ante paroxysmum datus HEURNIO commendatissimus pulvis legitur.

8.

CRATO A CRAFTHEIM in epistolis suis, laudat, decoctum raparum, quod paratur, dum abjecto cortice, primaeque decoctionis aqua, rapae cum nova aqua coctae exprimuntur, illeque succus cum butyro infulso ac saccharo mistus, potui datur, sumto simul pulvere ex quinque nucleis persicis.

9.

Celeberrimus MEAD. in monitis practicis laudat pulverem ex floribus chamomillae, myrrha, faleque absinthii, adjecto paululo aluminis, quo usus est in febribus cortici haud cedentibus, profligandis.

10.

Epithemata, epicarpia et emplastra sequentia, febribus abigendis intermittentibus, prodesse, auctores adfirmant.

℞. pulv. Oliban.
terebinth. venet. ana q. s.
M. F. pericarpia.

℞. Uvarum. corinth.
 Sumit. Lupul.
 Sal. marin. ana ℥ii.

Contusa in pulvem, applica ad arterias.

℞. Farin. tritic. cribr.
 thur. mascul. ana ℥ij.

F. c. succo menth. Emplastr. quod calidum ante
 accessionem adhib. ad spinam dorsi, ad caud. us-
 que teneatur donec sponte decidat.

℞. thur. subtiliss. pulv. ℥v.
 minii ℥j.
 ol. oliv. q. s.
 Ut fiat Emplastr.

SUBSECTIO I.

DE FEBRE QUOTIDIANA.

Theoria morbi.

§. 91.

Quae febris intermittens §. 36. invasionis et du-
 rationis periodum, singulis diebus, stato
 tempore servat, ab artis medicae scriptoribus, *fe-
 bris vocatur quotidiana.*

§. 92.

Accessio hujus febris §. 91. Si legitima est, or-
 dinarie, tempore matutino cum horrore et frigo-
 re, per horae unius spatium durante, infestare
 solet. — Sub hoc primo febris stadio, saepe nau-
 sea, vomitus, vel diarrhoea spontanea adsunt. —
 Eo finito succedit calor magis lentus, quam mor-
 dax, cum siti, inquietudine, et capitis dolore. —
 Pulsus antea debilis et durus, fit fortior, mollior,
 remissior. — Urina cruda ex citrino turbida ut-
 plu-

plurimum est. — Totus paroxysmus tandem post sex vel octo horas, moderato sudoris profluvio, cum remissione omnium symptomatum terminatur.

§. 93.

Cum febris quotidiana, invasionis periodum singulis diebus, stato tempore servet; in febre tertiana duplicata vero, non singulae sed alternae potius sibi respondeant accessiones: facile febris intermittens quotidiana, a tertiana duplici, distingui potest. Neque hanc febrem, si etiam vesperi accedat, cum catarrhali benigna confundi posse, existimamus, cum in febre quotidiana intermittente, horror magis evidens atque etiam integritas perfecta, inter duos sic dictos paroxysmos observetur.

§. 94.

Causae tam *praedisponentes*, quam *occasionales* et *proxima*, cum iis quidem conveniunt, quae in febrium generali consideratione jam indicavimus, §. 46. 50. 51.. — Cum vero experientia doceat, hanc febrem praeprimis insidiari hominibus otiosis, phlegmaticis et imbecilibus, ut senibus, pueris et foeminis: medicum in pervestigandis causis, inprimis ad ea, quae viscera digestioni inservientia, nimis relaxata atque imbecillia reddiderunt, animum advertere oportet.

§. 95.

Quoad iudicium de exitu febris quotidianae; sequentia inprimis notatu digna videntur, nempe:

- 1.) Quae febres quotidianae, excretionibus alvi, urinae, vel sudoris profluvio, cum levamine, sive evidenti crisi, mitescunt, facili modo decurrunt.

- 2.) Quae in tertianam mutantur duplicem, et tandem in tertianam simplicem, sanationem faciliorem admittunt.
- 3.) Quae ex aliis intermittentibus praesertim ex quartana succedunt, viscerum subesse vitium indicant, et ideo rebelles et periculosae sunt.

Sanandi Methodus.

§. 96.

Sanatio, febris quotidiana, eadem methodo, iisdemque remediis, quae in generaliore februm intermittentium consideratione exposuimus abfolvitur. — Pituitae proinde in primis viis collectae copia, evacuanda; dein vero, quae in sanguinis massa abscondita haeret, materia febrilis, corrigenda et per vias naturales eliminanda, tandem vero tonus viscerum digestionem inservientium, roborandus.

§. 97.

Cum multiplici experientia, compertum habeamus, pituitam seu materiam febrilem, tanta copia in febre quotidiana non adesse, quanta in reliquis februm intermittentium speciebus adesse observetur; vomitoria et purgantia fortiora, raro adhibenda esse, censemus. — Conducunt potius lenissima laxantia rhabarbarina F. 3. 4. 6. quae ad eluendam pituitam ex primis viis, paroxysmo finito exhibere et aliquoties repetere convenit.

§. 98.

Evacuatis sic primis viis §. 96. materia febrilis in valis sanguiferis haerens, medicamentis qui-

quidem incidentibus et resolventibus, corrigenda et ad excretionem disponenda: ob debilitatem vero viscerum §. 94. vitanda sunt salia acriora, atque in eorum locum eligenda, digestiva blanda saponacea amaricantia. — Idcirco pro hoc scopo, tempore apyrexias, omni bihorio, vel trihorio, mixturae F. 16. 17. et pulveres F. 13. 14. atque conserva F. 19. continuanda tamdiu, donec ex remissione paroxysmorum, ex urina cocta, ceterisque excretionibus, recte procedentibus pateat, materiam febrilem esse subactam, et maximam partem expulsam.

§. 99.

Si his, per unam aut alteram septimanam, adhibitis remediis §. 98. paroxysmi febriles ob vasorum et viscerum debilitatem adhuc perdurant: roborantia tunc fortiora ex corticibus peruviano et cascarilla, parata F. 24. — 29. tuto adhiberi possunt.

§. 100.

Symptomata, quae durante paroxysmo, molesta fieri solent, iisdem, quae supra descripsimus remediis, §. 72. — 77. mitigantur. — Circa usum vero sex rerum non naturalium ea observanda, quae supra praecepimus, §. 54. — Usus jusculorum et infusi herbae Theae minus in hac febre conveniunt, quia laxitatem intestinorum augent.

Monita practica.

§. 101.

Febris quotidiana, in subjectis, diaetae vino-sae, adfuetis, atque in iis, qui ex suppressione

mensium vel haemorrhoidum, sibi acquisiverunt plethoram, et urinam tinctam, reddunt, facile ingravescere atque in lentam, hecticam et apostematicam febrem mutari observatur. — Ut itaque haec praecaveantur mala, statim in principio, si phoenomena id ita urgeant, vena secari debet. — Quae reliquae observandae sunt cautelae practicae, supra §. 78. — 89. fulius explicatae leguntur.

SUBSECTIO II.

DE FEBRE TERTIANA.

Theoria morbi.

§. 102.

Quae febris intermittens, alternis diebus, invadit, et ideo unum diem integritatis habet, ab artis medicae scriptoribus vocatur *febris tertiana*.

§. 103.

Temporis proinde intervallum, quod inter duos sic dictos paroxysmos intercedit, atque spatium circiter viginti quatuor horarum comprehendit, praesentiam febris tertianae declarat

§. 104.

Praeter communia febribus intermittentibus symptomata, diagnofin tertianae febris firmat; anni tempus calidum praegreffum; temperies calida et biliofa; frigus majus, et rigor, cum punctiois cujusdam molefto fenfu. — Calor ut plurimum urens, fed aequabilis per univerfum corpus diftributus. — Excretiones per vomitum, diarrhoeam, urinam, biliofae. — Sudoris profu-

profluvium, quo singuli paroxyfmi, ut plurimum finiuntur, fatis copiofum. — In principio faepe ante meridiem accedit, et paroxyfimum, ad octo, decem, vel duodecim horas extendit.

§. 105.

Caufa proxima febris tertianae eft ut reliquarum intermittentium §. 46. lentor humorum, qui liquidi nervei motum, ad functiones cordis atque pulmonum peragendas, infringendo, fpasticas excitat tremores.

§. 106.

Neque aliae funt *caufae praedisponentes et occasionales*, quam illae, quae tam in primis quam fecundis viis, ex diaetae vitii, in vitae regimine commiffis, oriri observantur, §. 50. 51.

§. 107.

Praeter generalia, quae de exitu februm intermittentium, dicta fuerunt §. 52. haec adhuc notanda esse cenfemus:

- 1.) Febris tertiana legitima, nifi errores in regimine et medela committantur, nunquam fit exitiofa, fed faepe ante et post feptimum paroxyfimum, fponte ceffat, fanitatemque reddit firmiorem.
- 2.) Parvum et breve frigus; calor fequens diuturnus et vehemens; excretiones vel retentae vel minus fufficientes; infolita voracitas; febrem defignant diuturniorem et irregularem.
- 3.) Quae tertianae, verno oriuntur tempore, melioris funt genii, atque ideo facilius admittunt fanationem, quam autumnales,
quarum

quarum apyrexia imprimis si epidemice graffantur, adeo brevis observatur, ut medici illas non sine magno aegroti periculo, pro continuis saepe habeant et curent.

- 4.) Solutio hujus febris saepe fit, dum ulcercula circa labia prodeunt, alvus biliosa sequitur, urina cum ardore mingitur atque perspiratio cuticularis tempore apyrexias recte procedit.

§. 108.

Quoad diaetam et mitigationem symptomatum omnia ea sunt observanda, quae supra praecipimus, §. 54, 72 — 77.

Modus sanandi.

§. 109.

Qui sanationem hujus febris suscipit, ex vitae regimine praegresso atque ex symptomatibus concomitantibus, §. 55. omnium primo investigare debet, an colluvies viscida biliosa, ceu causa praedisponens, in primis viis haereat. — Haec detecta, statim, medio, inter duos paroxysmos, tempore vomitorio, aut purgante remedio evacuanda, §. 58. 59. 60. 61.

§. 110.

Cum materia febrilis viscidior esse soleat in febre tertiana, ita ut, remedio evacuante, uno inpetu, omnis expelli nequeat; necesse omnino est, ut ante usum pharmaci, per aliquot dies, tempore intermedio, tres vel quatuor doses, remedii salini resolventis, F. 13. 14. quotidie exhibeantur, quo dein materia febrilis, mobilior
sic

fic facta, facilius remedio purgante eliminari possit. In hunc finem quoque falis anglici vel sedlicensis, uncia una in aqua dissoluta exhibere convenit.

§. III.

Evacuatis sic primis viis; remedia, quae materiam febrilem, in vasorum et viscerum recessibus, latentem, resolvunt et transformant, §. 63. 64. continuanda tamdiu, donec pateat, paroxysmos mitiores jam esse factos.

§. III2.

Quamprimum ex urina cocta, ex mitioribus paroxysmis, atque ex se et excretionibus, rite procedentibus, colligitur, usu horum remediorum, materiam morbi esse correctam, solutam, motam: futuri tunc quidem paroxysmi facile praescinduntur, si ante febris accessum, corpus decocto diluente repleatur §. 66. et ita sudor eliciatur.

§. III3.

Si diluentia modo laudata semel vel bis fuerint adhibita, neque paroxysmi febriles dispareant: tunc quidem ad roborantia efficaciora deveniendum. In hunc finem igitur cortex peruvianus ad unciam integram, tempore intercalari, sive in forma pulveris sive electuarii exhibeatur, F. 24. 25. atque febre sic profligata adhuc quotidie in refractori dosi, per quatuordecim dies forma quacunque F. 26. — 29. continuetur.

§. III4.

Febre hoc modo profligata, victus et omnium rerum non naturalium, regimen supra descriptum

§. 54. strenue observetur, ne viscidum tam in primis quam secundis viis, de novo colligatur et recidivae occasionem praebet.

Monita practica.

§. 115.

Quae de evacuantibus et adstringentibus, nec non de missione sanguinis, in generali februm intermittentium consideratione, dicta fuerunt, illa et hoc loco repetenda et observanda.

§. 78. 79. 80. 81.

§. 116.

Ne error in medela, cum magno aegrotantis periculo, committatur, caveat sibi medicus, ne tertianam, cujus accessiones, per triginta sex horas et ultra protrahuntur, pro continua habeat febre. Utrumque vero hoc februm genus, facile distinguere potest, si ad frigus per unam aut alteram horam cum corporis concussione, perdurans, atque simul ad intermissionem perfectam, ceu notas, tertianae proprias animum advertit.

§. 117.

Quae ut continua accedit febris tertiana, non emeticis acrioribus, calidis sudoriferis, sed potius temperantibus, diluentibus et leniter salinis digestivis tractanda, donec in typum tertianae legitimae, concesserit.

§. 118.

In tumoribus, qui hanc febrem saepe sequuntur, oedematosis, curandis. non adhibenda purgantia fortiora, martialia, et folia volatilia, sed
potius

potius in usum vocanda, salia digestiva, pillulae balsamicae, decocta temperatiora, frictiones.

§. 119.

Securior febrium intermittantium tertianarum, per adstringentia, intempestive subpressarum, curatio non obtinetur quam per paroxysmorum febrilium revocationem, id quod per laxantia moderata et efficacia commode fieri posse experientia docet.

SUBSECTIO III.

DE FEBRE QUARTANA.

Theoria morbi.

§. 120.

Quae febris intermittens, quarto quovis die revertitur, et ideo duos dies intermedios, a febre immunes, sistit, vocatur *quartana*.

§. 121.

Haec febris satis exacte, suum absolvit decursum. — Invadit aegrum frigore non adeo vehementi, ac in tertiana, per duas aut tres horas durante. — Sequitur dein calor lentus et siccus, cum vertiginosa capitis perturbatione et difficili respirio. — Post sex vel octo horas ut plurimum aestus febrilis paulatim cessat, paucis vel nullo sudoris profluvio, subsequente.

§. 122.

Proxima hujus febris *causa* eadem quidem ac reliquarum intermittantium, esse observatur. Cum vero experientia doceat, eam ut plurimum invadere

dere homines, qui aetatis profectioris, diaetae crudae, potuique parciori, adfueti, animi moeroribus et sollicitudinibus indulgentes, ad cachexiam proclives sunt, atque ideo sibi sanguinem spissum, atrabilarium adquisiverunt: inde concludere licet, lentorem in febre quartana tenacioris esse indolis, et profundius in intimis corporis recessibus haerere.

§. 123.

Causas occasionales hujus febris, prae reliquis constituunt; victus durior et vegetabilis accensens, moeror, tristitia, vita sedentaria otiosa, excretiones sanguineae suppressae: tempus autumnale pluviosum. Haec omnia, lentorem humorum, glutinosum et atrabilarium reddunt, et ita *causam praedisponentem*, nempe infarctum viscerum, partim colligunt partim excitant.

§. 124.

Quoad prognosin sequentia imprimis notanda esse censemus nempe:

- 1.) Quamvis eradicatio quartanae difficillima sit, atque saepe integrum anni spatium postulet: omnium tamen febrium intermittentium securissima est, et saepe a magnis aliis vindicat morbis, ut v. c. ab epilepsia et convulsionibus.
- 2.) Quartana aestiva brevior, longior autumnalis, et quae hyemen attingit, observatur. Si sextum vel septimum excedit mensem, annua fit.
- 3.) Quae mutatur in tertianam vel quotidianam, faciliorem admittit curationem.

4.) Ex

- 4.) Ex lienis vel alterius visceris infarctu et obstructione, quae nascitur quartana facile convertitur, in icterum, hydropem, febrem lentam, inprimis si curatio conveniens et vitae regiminis exacta observatio, fuerit neglecta.
- 5.) Quae post icterum accedit, difficillimam admittit sanationem.

§. 125.

Victus, quia morbus est longus, non convenit tenuis, sed liberalior et nutriens minus, tamen calefaciens. — Parum aquae bibant aegroti, metu hydropis. — Moderata frictione et ambulatione utantur, inprimis eo tempore, quo instat paroxysmus. — Reliqua supra indicata leguntur §. 54.

Modus Sanandi.

§. 126.

Cum causa materialis, quartanae, profundius haereat in minimis viscerum recessibus, et ideo tenacioris sit indolis §. 122; omnis intentio medentis eo dirigi debet, ut aperientibus, resolventibus et diluentibus remediis lentorem in visceribus latentem, successive solvat, et per consuetas vias excretorias eliminet. Hoc vero omnium optime sequenti modo fieri posse, experientia docet.

§. 127.

Ad primas vias eluendas, mox a principio morbi, lene pharmacum inprimis rhabarbarinum cum sale medio, acutum, porrigatur F. 3. 4.

§. 128.

Si prima regione purgata, ex gracili corporis habitu, venis tumidis, et solemni aliqua evacuatione, suppressa, sanguinem redundare, cognoscitur: ejus detractio per principia inperanda. Si vero haec absint indicantia, omittenda.

§. 129.

Evacuationibus sic quidem peractis, diebus a febre vacuis, omni mane et vesperi, detur pulvis F. 13. 14. sive electuarium F. 19. — Hora decima ante meridiem et quarta post meridiem mixturae F. 16. 17. atque infusum herbaceum F. 15.

§. 130.

Haec per quatuor circiter septimanas sub accurato vitae regimine, sedulo continuantur. — Si tunc octo vel decem paroxysmis praeterlapsis, motus febriles non penitus remittant: remedia ex cortice parata diebus intercalaribus in usum vocari possunt, ita ut tempore apyrexias ad minimum una vel dimidia uncia ejus exhibeatur, F. 24. — 29.

§. 131.

Ufus quoque mixturae salinae F. 36. ante instantem paroxysmum, imprimis si post singulas ejus doses, aliquot vascula infusi cujusdam calidi F. 13. 20. 21. ad excitandum sudorem, hauriuntur, ad profligandam febrem, maxime se comprobavit.

§. 132.

Febre hoc modo profligata, de avertenda recidiva, sollicitus sit medicus. — Idcirco per aliquot adhuc septimanas, sub accuratissimo vitae regimine

regimine remedia ex cortice parata, refractori doli, continentur et si opus, alvus, rhabarbarinis aperta fervetur.

§. 133.

Quod mitigationem symptomatum attinet, quae saepe, durante paroxysmo, urgere solent, ea omnia observanda, quae supra in consideratione generali febrium intermittentium notavimus §. 72. — 77. Exactum quoque vitae regimen §. 54. bene observandum, ne insultus revertantur febriles.

Monita practica.

§. 134.

Quae febres quartanae, usu horum remedium, profligari nequeunt, atque per hyemem continentur, tempore vernali, succis expressis plantarum amararum et lactescentium cum sero lactis F. 37. et tandem usu thermarum et acidularum profligantur.

§. 135.

Quae oedemata pedum, sub accurata adhibita medela, post febres quartanas, relinquuntur, facile curantur, frictionibus, panno laneo, fumo succini inbuto, institutis: motu quoque corporis sufficienti, et laxantibus lenioribus rhabarbarinis. Quae vero ex neglecto vitae regimine atque perversa adhibita medendi methodo, nascuntur, oedemata, vix possunt sanari, nisi purgantibus efficacioribus, febris revocetur, atque dein apta medendi ratione tractetur. Sic enim optime hydropis et cachexiae, ulterior, praecavetur progressus.

§. 136.

Si fluxus haemorrhoidalis, diarrhoea, purpura scorbutica, et scabies, febrim quartanam diu toleratae, cum levamine accedunt, scire licet, materiam morbi, salutari effectu, a natura de corpore eliminari. — Idcirco hae quidem criticae evacuationes, non temere suppressendae, sed tolerandae et methodo convenienti sanandae.

§. 137.

Ab arsenico, opio, et alumine, ceu remediis nocentissimis et saepe funestis in febribus his extirpandis, medicus prudens abstineat.

Remedia

In sananda quartana ab auctoribus laudata.

§. 138.

I.

R. cort. peruv. elect. pulv. Unc. quat.
 cascarill. pulv. Unc. unam.
 Hb. cent. minor. conc.
 card. bened. conc. ana drachm. sex.

M. infund. et digere per horas tres in aquae communis et vini gall. rubr. ana unciis sedecim. Postea in phiala alta per horam unam leniter decoque, tunc colaturam cum expressione residui factam exhala ad syrapi fluidioris consistentiam, admiscendo denique syrapi cinamom: unciam dimidiam. — Hujus mixturae drachmae duae aut tres in aqua simplici solutae, quartanariis, omni trihorio, diebus intercalaribus, exhibere jubet ELLERUS et adfirmat, una vel duabus hujus remedii portionibus, successive assumtis, maxime inveteratas quartanas, absque metu recidivae, atque

que periculo morbi cujusdam chronici subsecuturi, fuisse sublatas.

2.

℞. Pulv. cornach, gran. XXV.
Agaric. gran. XV.
Sal. amon. depur. drachm. j.
cort. peruv. opt. drachm. iv.

F. Elect. cum Syr. card. b. q. f. D. S. quarta
pars omni trihorio.

3.

℞. Fibr. helleb. nigr.
polypod. quern.
Folior. fenn. f. f. ana Unc. unam.
Hb. absinth.
cent. m.
card. b.
tris. fibr. āā. Manipul. dimid.
ras. Lign. colubr.
cort. peruv. opt.
Aurant. recent. āā. drachm. tres.
Limat. mart. rec. Unc. dimid.
Tartar. tartarif. Unc. dimid.

C. C. irrorentur drachmis duabus spiritus salis
amoniac. urinos. M. et duab. mensur. Vini infun-
de. D. S. matutino tempore quotidie liberalis hau-
stus. HOFFMANN.

4.

℞. Cort. peruv. opt. drachm. iij.
regul. antim. medicinal. drachm. ij.
merc. dulc. (cuspid. cultelli cum salibus
miscendi)
croc. mart. tenuiss.
arcan. duplicat. ana drach. j.
olei menth. gutt. IV.

D 3

M. F.

M. F. pulv. cujus drachma semis vel integra cum roob. Sambuc et Julepo ros. in elect. redact. mane et vesperi fumenda. HOFFMANN.

SUBSECTIO IV.

DE FEBRIBUS DUPLICATIS.

Theoria morbi.

§. 139.

Ex iis, quae dicta fuerunt §. 40. satis patet, eas febres, quae intra tempus uni adfectioni et subsequuturae apyrexiae, destinatum, bis recurunt, febrium intermittantium duplicatarum nomine insigniri.

§. 140.

Quotidiana duplex, quae rarissima est, proinde duos quotidie paroxysmos sistit, quorum unus, mane, alter vesperi, aegrum invadit. — *Tertianae duplex*, quotidie accedit, ita tamen, ut primi diei, paroxysmus respondeat illi, tertii diei, et secundi diei paroxysmus, illi, quarti diei. — *Quartana duplex* eodem modo procedit ut tertiana, ita ut primi diei, paroxysmus illi, quarti diei, paroxysmus vero secundi diei, illi, quinti diei respondeat. Tertius igitur dies est dies intercalaris sive integritatis.

§. 141.

Quod causas tam remotas, quam proximas harum febrium attinet, eae quidem ab iis, quae in consideratione febrium intermittantium indicavimus, non adeo differunt: major vero partium solidarum in his, quam in simplicibus intermittentibus observatur debilitas, qua fit ut materia febr-

febrilis non nisi repetitis accessionibus, subigi et ad crisin disponi possit.

§. 142.

Quae febres duplicatae mutantur in febres simplices, praesertim in tertianas, methodo convenienti facile sanantur. Quae vero in continuas et lentas abeunt, difficiliorum admittunt medelam.

Modus sanandi.

§. 143.

Methodus, his febribus medendi, quidem non differt ab ea, quae in febribus simplicibus fuit a nobis proposita. — Cum vero ut plurimum vires corporis deficientes impediunt, quo minus materia febrilis, ut in simplicibus, satis subigi et per vias naturales eliminari possit: curatio ejus ita est instituenda, ut remediis lenissimis resolventibus et diluentibus materia febrilis attenuetur et ad exitum praeparetur, quo dein, naturae motibus exterminari possit.

§. 144.

Statim ab initio morbi, igitur ad primas eluendas vias, laxans rhabarbarinum exhibeatur F. 3. 4. Postea vero per aliquot septimanas, tempore apyrexias, mane et vesperi, liquoris terrae foliatae tartari, guttas octoginta et plures vel pulveres F. 38. interpositis mixturis roborantibus F. 16. 17. et diluentibus F. 20. 21. exhibere convenit.

§. 145.

Si febris imminuatur, vel quiescat, roborantia supra descripta F. 22. 26. per aliquot tempus, sub accurato victus et omnium rerum non natu-

ralium regimine §. 54. sedulo continuanda, ne infultus febriles recrudescant,

§. 146.

Adhibitis sic quidem remediis alterantibus, saepe fieri solet, ut febres duplicatae in simplicem tertianam mutantur. Qua methodo tunc sint sanandae, supra satis prolixè a nobis demonstratum fuit.

SUBSECTIO V.

DE FEBRIBUS ANOMALIS, MALI MORIS

Theoria Morbi.

§. 147.

Quae febres, nullum typum, nullamque periodum, formant, atque insolitis symptomatibus, decursum suum absolvunt, febres vocantur, *anomales* et *mali moris*,

§. 148.

Si simul junctam habent virium prostrationem, insolitisque symptomatibus stipatae, epidemice grassantur, malignae vocari solent.

§. 149.

Causa proxima harum febrium, in primis consistit in discrasia et intemperie humorum, et in vitiosa materia, activae indolis in primis viis haerente.

§. 150.

Eos frequentissime invadere solent, qui in locis humilibus paludosis, et humidis, morantur, in iisque dormiunt, quique post fervidam aestatem vesperi aut noctu, corpus aeri humido frigido incaute exponunt, frigidum quoque potum

COR-

corpore calente hauriunt, atque ventriculum cibis crudis et indigestibilibus onerant. Hinc facile intelliguntur causae remotiores. Officium medici, in persanandis his febribus, consistit in eo, ut cum tranquillitate et patientia, ea suadeat remedia, quae perversam humorum qualitatem, corrigere, atque ita praeparatam materiam tam percutim quam per alvum excludere valent.

§. 152.

Si alvus non recte succedit, statim adhibenda enemata domestica, ex decocto avenae excorticatae, floribus chamomillae, oleo olivarum et sali communi parata. Si opus, rhabarbarinis F. 3. 4. alvus elui potest.

§. 153.

Depletis sic primis a viis, nitrosa, absorbentia et diapnoica F. 34. 38. continuanda tamdiu, donec genium morbi dignoscatur. Potus fit decoctum tenue avenaceum, cum succo citri vel cum amygdalis in emulsionem redactum.

§. 154.

Si paroxysmo declinante, natura sudorem movere observatur, salutare hocce negotium, spiritu MINDERERI F. 35. et infuso florum sambuci, promovendum.

§. 155.

Fracta sic vehementia, insultuum febrilium, sub accurato vitae regimine adhibenda sunt remedia, ex roborantibus, inprimis ex cortice parata.

§. 156.

Plura de cognoscendis et sanandis, his febribus contumacissimis, exposita leguntur in

scriptis SYDENHAMI et HOFFMANNI ad quae lectorem nostrum relegamus.

Monita practica.

§. 157.

Fortiora, cujuscunque generis, evacuantia remedia, in curandis febribus anomalis, graviores excitant paroxysmos, et ideo vix non semper nocent.

§. 158.

In principio harum febrium, ubi genium earundem, nondum satis pateat, tutior medendi via, consistit in eo, ut temperata bezoardica fixora et analeptica adhibeantur, venaesectio vero purgantia, emetica, regimen calidum et diaeta nutriens, vitentur.

§. 159.

Vomitus et inquietudines, cum frigore extremorum, sedantur, liquore anodyno minerali, tertia parte liquoris bezoardici BUSSII, remixto, vel etiam decocto avenaceo cum oleo amygdalarum dulcium et croco, liberaliter hausto. Diarrhoea vero moderatur pulvere rhabarbarino cum nitro, et si opus, aliquot granis corticis cascarillae, remixto.

§. 160.

Quamprimum atrocia symptomatum mitigatur, et febris typum intermittentis servat, superatis aliquot paroxysmis, prima corporis regio, expurganda et postea roborantia ex cortice, in usum vocanda.

S E C T I O II.

DE FEBRIBVS CONTINVIS
IN GENERE.

§. 161.

Postquam a nobis, earum febrium fuerit exposita theoria atque medela, quae diversis accessionibus, stato tempore redeuntibus, decursum suum absolvunt, superest, ut jam agamus de iis febribus, quarum omne tempus una tantum accessio est, a principio ad solutionem usque, quaeque ab artis medicae scriptoribus, nomine *continuarum* insigniuntur. §. 34.

§. 162.

Harum febrium aliae, absque ulla motuum remissione, uno impetu, ad morbi exitum usque perdurant: aliae vero per vices inpetum remittunt, et denuo excitant, ita tamen ut ab initio ad finem usque morbi, fervor febrilis, semper adfit. Priores vocantur *continentes*, posteriores *continuae remittentes*. — Cum vero haec febrium *continuarum* distinctio in praxi medica, fere nullius usus esse videatur, nos sub communi nomine *continuarum* eas febrium species considerabimus, quae in nostris terris frequentiores esse solent.

§. 163.

Generalis indicatio, in persanandis his febribus, in eo potissimum consistit, ut acrimonia humorum, ceu causa materialis proxima, diluendo et resolvendo ita praeparetur, ut sub finem

nem morbi, crisi salutari, a natura eliminari possit.

§. 164.

Cum vero dyscrasia hac humorum, non unius ejusdemque in febribus continuis sit indolis, adeoque variam quoque methodum medendi postulet: specialem sanandi rationem, in specialiori harum febrium tractatione, fufius exponere constituimus.

§. 165.

Ut vero constet, quale regimen vitae, qualisque diaeta, in omnibus febribus acutis continuis sint observanda: nos quidem generales quasdam regulas, atque praecepta specialiori febrium continuarum expositioni, praemittere consultum esse duximus. Exquisitum namque usum sex rerum non naturalium, praecipuum curationis momentum absolvere, atque ideo strenue esse observandum, accuratiores ex diuturniori praxi, collectae observationes confirmant.

§. 166.

Conclave, in quo decumbit aegrotus, sit amplum, altum, paululum obscurum, et aëre temperato et puro perflatum. In hunc finem:

- 1.) Hominum arceatur turba, ne halitu et transpiratu, aerem cubiculi calefaciant, inficiantque, et aegrum alloquiis suis commoveant et turbent.
- 2.) Excrementa, quam primum fuerint exclusa, statim removeantur, neque ut moris apud nos esse solet, in conclavi per integrum diem serventur.

3.) Quo-

- 3.) Quotidie bis vel ter, per horae quadrantem, fenestrae, vel janua, caute aperiantur, clausis prius cortinis, quae circa sunt lectum aegroti. Sic enim aer cubiculi putridis exhalationibus foetus, corrigitur atque aeger mirifice reficitur.
- 4.) Aestivo inprimis tempore, si calor nimium excedens molestus est aegroti, vapore aceti, vel etiam aqua frigidissima, humo cubiculi, inspersa, aër refrigeretur et emendetur.
- 5.) Eodem fine, rami salicis abscissi, aquae frigidae immersi, in cubiculo collocentur, ut expiratione eorundem, aer reddatur humidior et frigidiusculus.
- 6.) Nimia vero haec aëris humiditas corrigitur, si sub largo et patenti camino, focus instruat, ligno quercino vel abietino.

§. 167.

Cum nil perniciosius sit aegrotis, quam si diu sub stragulorum pondere, inclusi, jaceant, sequentes regulae observandae:

- 1.) Modus tegendi, aegros in genere quidem petitur a tempestate anni, corporisque, aegrotantis constitutione et consuetudine: generalis tamen regula haec est: *ut caleant moderate.* Idcirco stragulis moderate tecti sint aegroti, nec ut moris est, sub iis sepeliantur.
- 2.) Si vires corporis ferant, aegri quotidie per unam aut alteram horam lectis exempti, in sedili commodo, bene tecto corpore, commorentur. Si sint debilissimi, in lecto erigantur, ut pulvinaribus, dorso substratis, sedeant. Experientia enim docet, aegros

gros eo fieri alacriores, et in somnos proniores, quo crebrius erigantur.

- 3.) Eo tempore, quo extra lectum morantur aegri, pulvinaria mutari possunt et sicari.
- 4.) Ut salutaris perspiratio promoveatur, optime convenit, tertio quovis die, indusia fordidam mutare.

§. 168.

Cibi et potus, seligantur, qui facile digeruntur, morbique causae contrarii sunt. Eo quoque tempore exhibeantur cibi, quo abest febris, et quidem copia parva sed saepe repetita. Hinc:

1. abstineant aegri a victu animali nutriente. Vitent omnis generis carnes et ex his parata juscula meraciora, ova quoque, pisces, vinum, potum Coffe et omnia quae calefaciunt.
2. Seligant sibi victum, qui corpus non gravat, simulque gratum illi refrigerium inducit. Optime proinde, fervore febrili durante, conveniunt decocta, panis, orizae, avenae excorticatae, et similia. — Omnes quoque fructus horraei maturi tam recentes quam sicci et cocti prodesse observantur, imprimis cerasa, pruna, poma borsdorffiana.
3. Succus horum fructuum expressus, vel etiam citri recentis succus, aquae purae vel decoctis panis et avenae admisceri et loco potus ordinarii exhiberi potest.

§. 169.

Ut praecaveatur recidiva, sequentes regulae diaeteticae morbo, finito, ad recuperandam pristinam sanitatem, probe sunt observandae:

- 1.) Cibi, parca copia, sed saepe repetita, reconvalescentibus exhibeantur, ut a viribus dige-

digerentibus facile superari queant. Nimia enim copia eorundem, corpus turbat atque debilitat.

- 2.) Prodest, uno tantum, ciborum facile digestibilem genere, uti, neque varia appetere, quaeque adsumuntur solidiora, bene manducare.
- 3.) Vesperti parum vel nihil comedant reconualescentes, ne somnus tranquillus, adeo necessarius ad reficiendas corporis vires, turbetur. Ultra septem vel octo horas vero in lecto non commorentur.
- 4.) Loco potus ordinarii, utantur, aqua pura cum tertia vel quarta parte vini rhenani, remixta.— Copia minori utantur potu, quam in ipso morbo. Potus, enim copia nimia ingestus, ventriculi vim debilitat, digestionem impedit, tumoribus oedematosis occasionem dat, imo saepe ad febrem lentam disponit.
- 5.) Corpus, quantum vires corporis ferant, favente anni tempestate, exercent motu.— Equitatio omnibus reliquis commotionibus est praefenda. Haec vero fieri debet, ante prandium jejuno ventriculo, nunquam post prandium.
- 6.) Solutio alvi. Si die secundo non sequitur, tertio enemate emolliente, promoveatur. Non opus ut quotidie alvus sit aperta.
- 7.) Ad labores consuetos, ante septimum vel octavum diem post, reconalescentiam non redeant, digestionemque et motus febriles volaticos interea usu corticis continuato, corrigant.

§. 170.

Cum Febres continuæ, a variis pendeant causis §. 164. prudens medicus, facile exiis, quæ de regimine vitæ, dicta fuerunt, determinare poterit ea, quæ sunt observanda in singulis earundem speciebus, ne error, in diæta, committatur. Ut itaque lectori in repetendis regulis diæteticeis, minus molesti simus, eum ad hanc a nobis propositam vitæ normam in febribus acuti genii, relegamus.

SUBSECTIO I.

DE FEBRE CONTINUA SIMPLICI.

Theoria morbi.

§. 171.

Quæ febris continua §. 161. absque notabili, in solidis et fluidis, degeneratione, functionumque, insigni læsione, suum absolvit decursum, ab artis medicæ scriptoribus, vocatur, *febris continua simplex.*

§. 172.

Si itaque febris, in corpore, ceteroquin sano, a causa evidenti et recenti, absque insigni functionum vitalium, animalium, et naturalium læsione, atque etiam sine magna in excretis naturalibus, urina nempe, foecibus alvi et sudoribus, præsentem mutatione, incipit: ægrum tunc febre continua simplici, detineri, novimus.

§. 173.

Alia harum febrium species, spatio viginti quatuor horarum, suum absolvit decursum; alia per plures protrahitur dies. Illa in scholis medicorum,

corum, *ephemerae*, haec vero *synochi simplicis non putridae*, nomen accepit.

§. 174.

Cum causae, signa, et medela utriusque speciei febrium continuatum §. 173. eadem sint, atque ephemera vix unquam medicis occurrat: nos utramque hanc febrem sub una eademque, continuatae simplicis appellatione breviter considerabimus.

§. 175.

Haec febris vero imprimis his signis se prodit. Ab initio, cum leuissimo horripilationis sensu, hominem artea bene valentem, invadit. Hanc protinus sequitur calor febrilis aequalis, plus minus molestus. — Pulsus statim a magnitudine incipit, idemque ut frequens et celer, ita aequalis et mollis est. — Facies rubet, caletque, et caput dolore adficitur pulsante. — Adest fastidium cibi, potusque deliderium. — Somnus est brevis et interruptus, spiratio saepe molesta. — Solvitur malum interdum sine sensu manifestae excretionis, saepe vero post tres, quatuor, aut septem dies, per copiosos madores et sudoris profluvia. Nec deficiunt observata, has febres diarrhoea, narium haemorrhagia, et urinae profluvio fuisse judicatas.

§. 176.

Cum vix notabilis, in his febribus adsit causa materialis, et si quae adsit, per motus febriles, brevi et facile expellatur de corpore: causam eandem proximam, potius in acceleratione motus circulatorii, ab evidenti aliqua causa, imprimis, a vitio, in sex rerum non naturalium usu, commisso, consistere facile intelligere datur.

§. 177.

Causis remotis occasionalibus, inprimis adnumerantur, ira, terror, crapula, ebrietas, labores nimii, animi validi adfectus, vigiliae, ingluvies, venus immodica, refrigerium corporis sudantis, et similia.

§. 178.

Quamvis haec febris, ut plurimum sponte sua, absque medici consilio, decurrere solet, observatione tamen compertum est, eam non raro fieri periculosam in iis, qui sanguinem habent impurum et acrem. — Fieri quoque solet, ut ab accelerato motu circulatorio, per plures dies protracto, et inde nato calore, tenuiores sanguinis partes diffentur, et ideo crassiores relictæ visciditatem inflammatoriam producant. — Variæ tunc quidem acrimoniae et inflammationes viscerum oriuntur, et ideo febris continua simplex, in continuam putridam transit, inprimis si perversa medendi ratione tractatur. — Tandem et hanc febrem, nisi crisi sufficienti a natura solvatur, per saepe in lentam degenerare, observata ex praxi diuturniori collecta, confirmant.

Modus sanandi.

§. 179.

Sanationem febris continuae simplicis suscipienti, omnium primo incumbit ut exactum vitae regimen praescribat. §. 166. 167. 168. — Reliqua curatio absolvitur quiete, abstinentia, et remediis diluentibus, resolventibus, refrigerantibus.

§. 180.

Si itaque statim, primo die, medici imploratur officium, atque morbus a nimia ciborum indige-

digestibilium ingurgitatione ortus dignoscitur: vomitorio F. 1. 2. vel laxante remedio F. 3. — 10. saburra, quae haeret in primis viis, illico evacuanda. (§. 55-60.). Sic enim febrem saepe ab initio fuisse dissipatam, novimus.

§. 181.

Si febres ultra viginti quatuor horas, protracta, synochum simplicem invasisse indicat, atque facies rubicunda, dolores capitis ingentes, pulsus plenus, fortis, et celer, in primis vero excretiones naturales suppressae, ut sunt haemorrhoides et menstrua, praesentiam plethorae verae manifestant; sanguinem tunc quidem illico, sufficienti copia ex vena secta, educere, consultum erit.

§. 182.

Minuta sic quidem sanguinis copia, omni trichorio pulvis nitrosus F. 38. aut si pulverum usum abhorreat aegrotus, mixtura F. 33. vel 39.) exhibeatur. Simul vero, copia magna sed parvis et repetitis haustibus, ingerantur decocta hordeacea, avenacea et similia. F. 40. 41. 42.

§. 183.

Remedia haec §. 182. durante aestu febrili, sedulo continuanda, atque simul clysmata emollientia cum nitro inficienda F. 43. et ita evacuantibus remediis plane omissis, crisis naturae expectanda.

§. 184.

Sub hac simplicissima methodo medendi, medicus quoque ad naturae conamina critica animum probe advertat:

1. Si itaque *sudor* cum levamine, prorumpere animadvertitur: naturae hoc salutare con-

- men, spiritu Mindereri F. 35. vel solo infuso florum sambuci cum oxymelle F. 44. vel etiam infuso herbaceo F. 45. promoveatur.
2. Si natura materiam noxiam *per urinae vias* evacuare intendit, optimo cum successu tunc quidem ad salutarem hanc excretionem juvandam, cremor tartari et serum lactis F. 41. 42. exhiberi possunt.
 3. Si tandem *diarrhoea* critica instare videtur, illa rhabarbarinis juvanda et moderanda est.

§. 185.

Observatione quoque compertum habemus §. 178. has febres simplices continuas, per saepe, ex imperfecta in primis crisi, degenerare in febres lentas. His optime succurritur, si quotidie, sub exacto vitae regimine, octoginta guttulae mixturae F. 46. omni trihorio exhibeantur, atque simul decocti radicum quinque aperientium sufficiens copia hauriatur.

§. 186.

In hoc ipso statu morbi §. 185. quoque convenit decoctum pro potu ordinario ex radicibus graminis, scorzonerae, herbae saponariae et rasurae ligni Sassafras F. 47. et si tempestas favet, aqua selterana. — His vero optimo cum successu, adduntur usus frequentior, jusculorum, ex animalibus junioribus cum herbis petroselini, acetosae, nasturtii et cancris fluviatilibus paratorum, motusque corporis sufficiens.

§. 187.

Et haec quidem de sananda febre continua simplici, dicta sufficiant. Superest ut jam de febre continua patrida, verba faciamus.

SUBSECTIO II,
DE FEBRE CONTINUA PUTRIDA.*Theoria morbi.*

§. 188.

Quae febris continua, vel si mavis, continens, ab insigni quacunque humorum, a conditione naturali, degeneratione, eorundemque imprimis in putredinem proclivitate, oritur; *febris continua sive synochus putrida* vocatur.

§. 189.

Insignis proinde, humorum, a statu naturali, degeneratio, ex majori vel minori functionum laesione, imprimis ex alvi, et lotii, excrementis foetidis, atque sudore graveolente, facile cognoscenda, praesentiam hujus febris manifestat.

§. 190.

His quoque signis § 189. facile synochus putrida, a simplici distinguitur. In hac enim sanguis quantitate tantum peccat, in illa vero sanguinis superflui qualitas simul perversa, motu peccat vehementiori, inflammatoriam diathesin et mox dispositionem ad corruptionem putridam, introducente.

§. 191.

Cum porro ex praxi quotidiana constet, causam materialem, synochi putridae, in ipsa sanguinis massa ex causis remotioribus, generari, neque, aliis corporibus, communicari: febrium vero malignarum epidemice grassantium, causam proximam ab extra sanguini admisceri, eumque in malignam indolem convertere, et sub miasmatis

tis inefficientis nomine alia corpora sanissima, ini-
gredi, eaque simili morbo afficere; facile patensq̄ ali-
unam ab altera his signis distingui posse.

§. 192.

Praesentiam vero, synochi putridae verae
haec signa potissimum declarant. Accedit plethorice
rumque, plethoricos, succulentos, praesertim
vere, et aestate, cum vix notabili frigoris sensu. —
Mox sequitur calor, siccus, acrior, qui sub manu dul-
nu tangentis medici, non ut in aliis febribus acutus sud-
tis, decrescit, sed potius omni momento auge-
tur, manumque pungit et urit. — Pulsus ut in
continua simplici ab initio magnus et celer, sit,
mul vero inaequalis, tam in robore quam in ve-
locitate observatur, in progressu vero, accedens
te dissolutione putrida, debilis et inaequalis. —
Lotium emittitur turbidum, crassum et crudum
absque ullo sedimento. — Oculi ab initio saepe
calentibus implentur lachrymis. — Guttur e
quae juxta sunt, loca, exturgescunt, aestuant
que. — Sanguinis corrupti metastasis, in
bi progressu, ad cerebrum delata, phrenitidem
in pulmonibus et pleura, facta peripleumoniam
ad cutem vero deposita, exanthemata varia livida
vel nigra, symptomatice producit.

§. 193.

Causam proximam synochi putridae, in spissitudine
dine sanguinis inflammatoria, et mox inde orio
proclivitate ad corruptionem putridam, consistit
re, accuratiores ex diuturna praxi, collecta
phoenomenorum observationes confirmant.

§. 194.

Quae ad hanc febrem *praedisponunt* *causae* in-
veteris sunt: plethoricus corporis in vigore aeta-
tate constituti, status; vitae regimen inordinatum
et excessum: lauta diaeta, atque cacochymica
humorum dispositio.

§. 195.

His causis §. 194. si accedunt *occasionales*, in-
veteris, vehementes corporis exagitationes, vigi-
lancia nimiae, iracundia, abusus spirituosorum, su-
perabundantiae nimiae, corporis calentis subitae refri-
gerationes, excretionumque naturalium suppressio-
nes: vehementior tunc excitatur sanguinis motus
et primo diathesin inflammatoriam, vasorumque
constrictionem brevi vero ad corruptionem putri-
limum, dispositionem, sanguini, inducit. §. 193.

§. 196.

Omnem hujus febris prognosin pendere, a
magis vel minori, functionum laesione, et a
motu symptomatum quotidiano, augmento, vel decre-
mento, veteres jam medici, observarunt, et ideo
in hanc, in homotonomam, anabaticam et paracma-
ticam diviserunt.

§. 197.

Spem sanitatis recuperandae suppeditant, pul-
sus fortis et tardus: respirium facile non interrump-
tum; excrementa alvi, lotii, sudoris, parum
a statu naturali, degenerantia: vires corporis sa-
tis constantes: somnus tranquillus et facilis; ap-
petitus non plane deletus.

§. 198.

Mali ominis signa dant: pulsus debilis inaequalis:
celer: respirium difficile anhelosum: lotium

tis inficientis nomine alia corpora sanissima, in-ai, sū
gredi, eaque simili morbo afficere; facile pateatq; al
unam ab altera his signis distingui posse.

§. 192.

Praesentiam vero, synochi putridae verae
haec signa potissimum declarant. Accedit ple-
rumque, plethoricos, succulentos, praesertim
vere, et aestate, cum vix notabili frigoris sensu. —
Mox sequitur calor, ficcus, acrior, qui sub ma-
nu tangentis medici, non ut in aliis febribus acu-
tis, decrescit, sed potius omni momento auge-
tur, manumque pungit et urit. — Pulsus ut ini-
tialia continua simplici ab initio magnus et celer, si-
mul vero inaequalis, tam in robore quam in ve-
locitate observatur, in progressu vero, acceden-
te dissolutione putrida, debilis et inaequalis. —
Lotium emittitur turbidum, crassum et crudum,
absque ullo sedimento. — Oculi ab initio saepe
calentibus implentur lachrymis. — Guttur et
quae juxta sunt, loca, exturgescunt, aestuant
que. — Sanguinis corrupti metastasis, in mor-
bi progressu, ad cerebrum delata, phrenitidem
in pulmonibus et pleura, facta peripleumoniam
ad cutem vero deposita, exanthemata varia livi-
da vel nigra, symptomatice producit.

§. 193.

Causam proximam synochi putridae, in spissitu-
dine sanguinis inflammatoria, et mox inde orta
proclivitate ad corruptionem putridam, consi-
tere, accuratiores ex diuturna praxi, collectae
phenomenorum observationes confirmant.

§. 194.

Quae ad hanc febrem *praedisponunt causae* in-
 stantissimas sunt: plethoricus corporis in vigore aeta-
 tino: constituti, status; vitae regimen inordinatum
 longaeque: lauta diaeta, atque cacochymica
 humorum dispositio.

§. 195.

His causis §. 194. si accedunt *occasionales*, in-
 stantissimas, vehementes corporis exagitationes, vigi-
 lantiae nimiae, iracundia, abusus spirituosorum, su-
 pererogationes nimiae, corporis calentis subitae refri-
 gescutiones, excretionumque naturalium suppressio-
 nes: : vehementior tunc excitatur sanguinis motus
 utque i primo diathesin inflammatoriam, vasorumque
 intumescutionem brevi vero ad corruptionem putri-
 bilium, dispositionem, sanguini, inducit. §. 193.

§. 196.

Omnem hujus febris prognosin pendere, a
 majori vel minori, functionum laesione, et a
 symptomatum quotidiano, augmento, vel decre-
 scimento, veteres jam medici, observarunt, et ideo
 eam, in homotonomam, anabaticam et paracma-
 ticam diviserunt.

§. 197.

Spem sanitatis recuperandae suppeditant, pul-
 sus fortis et tardus: respirium facile non interrump-
 tum; excrementa alvi, lotii, sudoris, parum
 mutatu naturali, degenerantia: vires corporis sa-
 nis constantes: somnus tranquillus et facilis; ap-
 petitus non plane deletus.

§. 198.

Mali ominis signa dant: pulsus debilis inaequalis
 celer: respirium difficile anhelosum: lotium
 E 4 inten-

tis inficientis nomine alia corpora sanissima, ingredi, eaque simili morbo afficere; facile patet unam ab altera his signis distingui posse.

§. 192.

Praesentiam vero, synochi putridae verae, haec signa potissimum declarant. Accedit plerumque, plethoricos, succulentos, praesertim vere, et aestate, cum vix notabili frigoris sensu. — Mox sequitur calor, ficcus, acrior, qui sub manu tangentis medici, non ut in aliis febribus acutis, decrescit, sed potius omni momento augeatur, manumque pungit et urit. — Pulsus ut in continua simplici ab initio magnus et celer, simul vero inaequalis, tam in robore quam in velocitate observatur, in progressu vero, accedente dissolutione putrida, debilis et inaequalis. — Lotium emittitur turbidum, crassum et crudum, absque ullo sedimento. — Oculi ab initio saepe calentibus implentur lachrymis. — Guttur et quae juxta sunt, loca, exturgescunt, aestuantque. — Sanguinis corrupti metastasis, in morbi progressu, ad cerebrum delata, phrenitidem, in pulmonibus et pleura, facta peripleumoniam, ad cutem vero deposita, exanthemata varia livida vel nigra, symptomatice producit.

§. 193.

Causam proximam synochi putridae, in spissitudine sanguinis inflammatoria, et mox inde orta proclivitate ad corruptionem putridam, consistere, accuratiores ex diuturna praxi, collectae phaenomenorum observationes confirmant.

§. 194.

Quae ad hanc febrem *praedisponunt causae* imprimis sunt: plethoricus corporis in vigore aetatis constituti, status; vitae regimen inordinatum praegressum: lauta diaeta, atque cacochymica humorum dispositio.

§. 195.

His causis §. 194. si accedunt *occasionales*, imprimis, vehementes corporis exagitationes, vigiliae nimiae, iracundia, abusus spirituosorum, sudationes nimiae, corporis calentis subitae refrigerationes, excretionumque naturalium suppressio: vehementior tunc excitatur sanguinis motus qui primo diathesin inflammatoriam, vasorumque oppillationem brevi vero ad corruptionem putridam, dispositionem, sanguini, inducit. §. 193.

§. 196.

Omnem hujus febris prognosin pendere, a majori vel minori, functionum laesione, et a symptomatum quotidiano, augmento, vel decremento, veteres jam medici, observarunt, et ideo illam, in homotonon, anabaticam et paracmaticam dividerunt.

§. 197.

Spem sanitatis recuperandae suppeditant, pulsus fortis et tardus: respirium facile non interruptum; excrementa alvi, lotii, sudoris, parum a statu naturali, degenerantia: vires corporis satis constantes: somnus tranquillus et facilis; appetitus non plane deletus.

§. 198.

Mali ominis signa dant: pulsus debilis inaequalis et celer: respirium difficile anhelosum: lotium

intense rubrum turbidum: somnus interruptus difficilis: mentis alienationes, et ciborum fastidium.

§. 199.

Pessimum et lethalem eventum praesagiunt: somnus plane deficiens: delirium perpetuum: pulsus celerissimus, inaequalis et debilis; respiratio sublimis: haemorrhagia narium insufficientis: involuntaria lachrymarum profusio: tremuli in extremitatibus spastici motus, oculorum mox torvus, mox luctuosus vultus: lotii et alvi inscia excretio foetida: urina limpida vel nigra: resupinus in dorsum decubitus: lingua nigra et arida: hypochondria tensa et inflata: pustulae atro purpureae vel lividae, per summa corporis efflorescentes.

Modus sanandi.

§. 200.

Medicus, de praesentia febris continuae putridae, ex caloris febrilis, atque reliquorum symptomatum §. 192. incremento, certior factus, omnium primo, exactam victus normam praescribat. §. 156. 167. 168. Inprimis vero sedulo imperet, quietem, abstinentiam ab omnibus ex carne paratis cibus, potuque vinoso, et ab iis quae nutriunt, circumque sanguinis excitant.

§. 201.

Reliqua omnis curatio, absolvitur, resolutione viscerum inflammatorii, atque correctione acrimoniae solida irritantis atque liquida in morbosam tenuitatem solventis. — Ne vero medicus, in duplici hac removenda causa, committat errorem, ad sequentia animum probe advertat.

§. 202.

§. 202.

Si ex plethorico corporis statu, pulsuque celeri, forti, et duro, aestu febrili magno, et vitae ante actae regimine §. 194. 195. de praesentia, inflammatoriae spissitudinis, certior redditur medicus: maximum tunc quidem praesidii, genus, ad praecavendam stasin inflammatoriam, in missione sanguinis est positum. — Pro hoc scopo igitur vena illico pertundenda atque sanguis sufficienti copia est detrahendus. — Hoc genus evacuationis, post tres vel quatuor horas, si pulsus durus et validus continuat, reiterari potest. — Absente spissitudine sanguinis inflammatoria, in progressu morbi, ex pulsu aliisque signis facile cognoscenda, sectio venae nocet, imo aegrum in periculum vitae projicit.

§. 203.

Misso sanguine, omni trihorio, exhibeantur pulveres nitrosi F. 38. vel mixturae resolventes F. 39. 44. simulque potus diluentes aciduli, adfido hauriantur F. 40. 41. 42. 48. Alvus quoque eluatur quotidie, ipsa etiam incipiente diarrhoea, enemate refrigerante F. 43. 49.

§. 204.

Si sub usu horum remediorum §. 203. tertio morbi die, nausea atque vomendi conatus, praesentiam materiae corruptae, in primis viis haerentis, indicant: consultum tunc quidem esse putamus, mixturis lenioribus F. 5. 6. 50. alvum eluere. — Crebra enim nos docuit experientia post operationem horum remediorum, motus febriles fieri mitiores, omnemque morbum facilius decurrere et critice solvi. Eadem remedia evacuantia

tunc quoque prodesse, quando signa coctionis in urina apparent, morbusque decrescit, experientia edocti novimus.

§. 205.

Quarto vel quinto morbi die, si symptomata morbi non sunt mitiora sed potius crescunt, imprimis vero, si pulsus sit celerior, debilior, inaequalis et respiratio laboriosior, hisque simul junguntur, pervigilium, mentis alienatio, lingua arida nigra, hypochondria tensa, urinae, excretio parcius et excrementa foetida: scire tunc quidem oportet, naturalem crassam humorum jam ita esse mutatam, ut in corruptionem putridam vergant. — Idcirco ea tunc adhibenda sunt remedia, quae corruptioni humorum efficacius resistunt.

§. 206.

In hunc finem, praeter tisanas supra indicatas F. 40. 41. 42. 48. in copia hauriantur, potus aquosi acidiores F. 51. Quotidie enema refrigerans F. 49. injiciatur. — Die vero nocteque, omni bitorio vel triitorio mixturae similes continentur. F. 52. 53. 54.

§. 207.

Quamvis, hac methodo medendi, adhibita §. 201. — 206. aegroti, per insequentes criticas narium haemorrhagias, vel etiam diarrhoeas graveolentes, lotiique sedimenta copiosa, et sudoris profluvia, saepe pristinae restituantur sanitati; fieri tamen quoque solet, ut sub usu horum remediorum, symptomata morbi, calor nempe, alienatio mentis, stupor, dolores capitis pulsantes, inquietudines, et alia crescant, vel

fal-

saltem eodem perdurent tenore. — In hoc morbi statu praeter haec modo laudata, remedia antiputrida, simul vesicatoria, synapismi, prae omnibus vero acetum forte cum aqua remixtum et calide pedibus applicatum, prodesse observantur.

§. 208.

Febre decrescente, omnibusque symptomatibus, lenioribus factis, tisanae supra descriptae, sedulo sunt continuandae, F. 48. 51. naturae excretionibus salutaribus, observato simul exacto vitae regimine §. 169. omni modo promovendae; alternis vero diebus drachma salis tartari in aqua soluti, exhibenda. Quae adhuc continuant motus febriles leniores, facile usu corticis profligantur.

§. 209.

Quod symptomata hujus morbi, adtinet: *dolor capitis* vehemens, epithemate F. 55. *nimia pectoris oppressio* mixtura F. 56. *urinae difficultas* decocto F. 57. et *diarrhoea* symptomatologica, potione F. 58. vel electuario F. 59. optime mitigantur. — De reliquo criticae evacuationes remediis §. 184. omni modo promoveantur. —

Monita practica.

§. 210.

Durante aestu febrili, omnia calida, imprimis spirituosissima et sic dicta alexipharmaca, sedulo vitentur. Haec enim motum sanguinis accelerando, corruptionem putredinosam humorum promoveant, morbumque deteriolem reddunt. — Ob easdem quoque rationes, infusa herbacea largi-

largiter hausta, regimen calidum tam ratione lecti quam conclavis, animique adfectus, vitentur, §. 166. 167.

§. 211.

Si ex nausea atque vomendi conatu, viscidam in primis viis haerere saburram, cognoscitur: absente febre tunc quidem remedium evacuans F. 2. exhiberi potest. — Si vero febris adest, et vomitus aegrum divexat, vomitoria etiam lenissima periculosa sunt. Praestat tunc dare aliquot vitra infusi chamomillae et mixtura F. 60. atque emolians enema.

§. 212.

Quae alvum irritant remedia, aequè nociva in hac febre deprehenduntur. Praeter enemata levissima et decoctum tamarindorum F. 50. alia non facile inveniunt locum ad eluendam alvum. — Febre finita repurgatio primarum virum, rhabarbarinis perficienda, F. 3. 5.

§. 213.

Opiata, quae pro sedando capitis dolore, adhibentur, nocentissima sunt, atque deliria, comata et paralyfes post se relinquunt.

§. 214.

Haemorrhagia narium critica, nunquam temere suppressenda, crebra enim nos docuit experientia, duas interdum libras sanguinis, sine vitae periculo, hac via, fuisse excretas.

§. 215.

Status corporis plethoricus, primis statim diebus, sanguinis diminutionem, per sectionem venae indicat. — Patitur vero haec regula saepe

saepe exceptionem, quando sub progressu morbi, auctisque morbi symptomatibus, metastasis humoris corrupti, in visceribus nobilioribus, inflammationem inducere, animadvertitur. — Consultius tunc quidem anceps, quam nullum experiri remedium, quamvis functiones vitales sint debilitatae. — Caveat vero sibi medicus, ne pulsu existente debili et celeri, improvida et reiterata missione sanguinis, aegrotum debilitet et occidat. — Post urinam coctam, quae instituitur sectio venae, saepe graviores haemorrhagias inducit, et si hae non sequantur, deliria, et symptomata soporosa excitat. — Si aegrotus a missione sanguinis abhorret, hirudines, quamvis minori cum effectu, collo et medianae admoveri possunt.

§. 216.

Si in ullo morbo, certe in hac febre, medicus in praescribendis remediis, caute versetur, ne morbum incongrua medendi methodo, deteriore atque insanabilem reddat. §. 201. — Regimen supra descriptum, per omnem morbi decursum, bene servetur, hoc enim praecipuum curationis punctum absolvere experientia confirmat.

SVBSECTIO III.

DE FEBRE ARDENTE, SIVE CAUSO.

Theoria morbi.

§. 217.

Quae febris continua, aegrum, cum ardente, et quasi igneo calore, circa praecordia imprimis palpabili, sitique inexstinguibili, et arida
totius

totius corporis siccitate violentissime adgreditur, in scholis medicorum vocatur, *febris ardens*, sive *causus*.

§. 218.

Haec potissimum his notis se prodere solet. — Calore ardentissimo et quasi igneo circa praecordia, maxime palpabili, mox primis diebus, adgreditur aegrum. — Accedunt, sitis inexplebilis, saepe subito sublata; cephalalgia vehementissima; inquietudo, et lassitudo summa. — Tota corporis superficies arida est et ficca; lingua aspera, fissa, nigricans: vox clangosa et tussis sicca. — Respiratio est difficilis, anhelosa et frequentissima. — Urgent simul anxietas summa, vigiliaeque perpetuae, saepe sopores, delirium et phrenitidem praenunciantes. — Alvus aliis soluta, compressa aliis est. — Urina parca, rubicundissima quasi flammea absque sedimento redditur. — Cibi omnis perit cupiditas, atque nausea et conatus vomendi, aegrum divexant.

§. 219.

Ex his notis, §. 218. calor circa praecordia ardentissimus, versus corporis extrema remissior; sitis inexplebilis, respiratio laboriosissima et ariditas totius corporis, essentialia febris ardentis signa constituunt, eandemque ab aliis febribus acutis continuis, distinguit.

§. 220.

Post adcuratum totius morbi historiae, examen §. 218. cuilibet facile patet, *causam proximam* febris ardentis, consistere in celerrima sanguinis, parte sua lymphatica, orbi, et ideo tenacita-

citata inflammatoria, peccantis, agitatione, per vascula obstructa aut spastice contracta.

§. 221.

Remotas causas hujus periculosissimae febris, in genere, constituunt omnia ea, quae tenuissimam partem sanguinis dissipant, eundemque sic spissum redditum celerrime agitant. In horum censum, inprimis veniunt: immodica delassatio post labores, praesertim sub aestu solis nimios; sitis diu tolerata, abusus calefactantium aromaticorum atque fermentatorum acrium, in cibo et potu: veneris usus nimius atque evacuationes tam naturales quam artificiales, inprovidae suppressae.

§. 222.

Quamvis, teste HIPPOCRATE, acutorum morborum non omnino certae sint praedictiones, neque mortis neque sanitatis: de exitu febris ardentis tamen sequentia a medicis practicis observata habentur.

§. 223.

Vera et exquisita febris ardens, seu caustus, stricte sic dictus, si salutari crisi non solvitur, septimum diem rarissime transit, sed saepe tertio vel quarto die aegrum occidere solet.

§. 224.

Spem sanitatis recuperandae, haec signa criseos, primis statim diebus decretoriis, apparentia, subpeditant, nempe: haemorrhagia narium copiosa, die quinto sexto, vel septimo, apprens. Haec brevi adfutura annunciat, faciei rubore, cervicis dolore, temporum gravitate, tenebrosa caligine, obtuso capitis dolore, narium

rium pruritu, arteriarum temporalium fortiori pulsatione. Porro quoque fluxus menstruus vel haemorrhoidalis copiosus, vomitus biliosus aut diarrhoea; lotium tandem copioso sedimento onustum. — Has criticas solutiones praecedunt atque sequuntur, pulsus mollior, capitis dolor minor, lingua et nares antea sicca et arida, nunc humida reddita. — Sitis quoque sub hoc morbi statu minuitur, appetitus, somnus et vires restituantur.

§. 225.

Signa suspecta potissimum haec recensentur ab autoribus, nempe: frigus extremorum, cum intolerabili aestu, circa vitalia; deglutitio ex inflammatione laesa; deliria, quae teste HIPPOCRATE praenunciantur, quando tinnitus aurium cum visus hebetudine fiunt et ad nares adcedit gravitatis sensus: respirium anhelosum fervidum; inquietudines: singultus; convulsio; pulsus intermittens parvus: urina turbida nigra vel aquea: oculi turbidi lachrymantes: haemorrhagia narium tertio vel quarto die, parca: icterus ante septimum diem; tremor manuum; exacerbatio febrilis, tertio die apparens.

§. 226.

Lethalia signa praecipua sunt: sputum sanguinis: mictus cruentus; urina pauca, tenuis, nigra: pulsus debilissimus, celerrimus, intermittens: sudor frigidus, singultus, lipothymiae, convulsiones. excretiones alvi et lotii foetidae et involuntariae.

Modus sanandi.

§. 227.

De febris ardentis praesentia, ex signis suis §. 219. certior sic factus medicus, omnium primo, exactum vitae regimen praescribat supra indicatum §. 166. 167. 168. Inprimis vero curam habeat, ut aer cubiculi saepe renovetur, refrigeretur, et flabellis excitetur, cavendo tamen ne aeris admissi motus, lectum aegri feriat. — Aegri potius supra culcitram frequenter sternendam, quam supra lectum plumis refertum decumbant, neque stragulis, contra vulgi morem nimium obruentur. — Porro quoque per unam aut alteram horam in lecto, vel melius in sedili, erecto corpore sedeant, quia in situ horizontali, sanguis majori impetu, versus encephalum movetur. — Potus eorundem sit copiosus, demulcens, subacidus: cibi leves farinae hordeati, avenacei, et ex fructibus subacidis confecti.

§. 228.

Regimine vitae sic ordinato, curatio reliqua, dirigitur ita, ut fluiditas, cruori, liquidissima sua parte orbato, reddatur, viscidum inflammatorium et acre irritans, mitigetur et demulceatur, solidae tandem corporis partes sufficienter humectentur.

§. 229.

Si itaque vigor aetatis, corporis robur, pulsusque celer et durus, praesentiam plethorae, manifestant: statim ab initio morbi, missio sanguinis, sufficienti copia celebretur, eaque repetatur, donec pulsus jam molliorem factum esse

F

pateat.

pateat. Eadem, quovis morbi tempore administranda indicatur, depletio sanguinis si signa inflammationis singularis, circa pectus et caput, aestus intolerabilis rarefactio nimia, aliaque symptomata urgent.

§. 230.

Quoniam, ut plurimum excrementa alvi sunt sicca; medicamentum blandum, primis viis repurgandis idoneum F. 6. offeratur, vel bis de die enema emolliens atque refrigerans injiciatur, F. 43. 49. idque continuetur tamdiu donec fauces et cutis humescere atque fervor febrilis remittere incipiant.

§. 231.

Ut porro jactura partis aquosae, restituatur sanguini, internae, aequae ac externae corporis partes sufficienti modo sunt humectandae. — Huic consilio, primo inserviunt, decocta aquosa, ex avena, hordeo, oriza, radicibus graminis, scorzonerae, et similibus, cum succo citri vel syrupo quodam, acidulata. F. 40. 41. 49. 51. Porro quoque serum lactis cum vino rhenano paratum et saccharo mixtum, F. 42. emulsa varia, et alia. F. 61. — Hujus generis potulenta vero magna copia hauriri debent.

§. 232.

Externa vero cutis superficies, oris, narium et pulmonum, humectatur, et emollitur: si manus et pedes quotidie, aquae tepidae, immerguntur; pectori et abdomini, panni lanei, calida inbuti, inponuntur: naribus internis vapor calide, mediante spongia admovetur, uti etiam axillis, parotidibus et inguinibus. — Prodest
quo-

quoque in eundem finem, os saepe tepida colluere, atque in cubiculo decumbentis, species emollientes in lebete coquere, quo exhalationes cubiculum implentes, narium, oris, et pulmonum superficiem humectare queant. — Laxatis enim sic vasis, omnis generis evacuationes criticas facile promoveri, experientia confirmatum habemus.

§. 233.

Cum ea, quae modo proposuimus, remedia, eas omnes habeant dotes, quae requiruntur in medicamentis, ut alvus laxetur, sanguinis salinae et oleosae acriores partes enerventur, atque per urinae inprimis vias expediantur; fibrae vero prae siccitate rigidae laxentur, ne violenter in fluida agere possint: his sedulo applicatis, absque medicamentorum ex fonte pharmaceutico, defumtorum usu, quamplurimos febre ardente decumbentes, insequenti salutari naturae crisi, pristinae sanitati fuisse restitutos novimus. — Praeter sectionem venae, omnem salutem aegri pendere a copia potus convenientis et a puritate aeris, jam dudum expertissimi in arte viri perspexerunt.

§. 234.

Si diluentia subacida aquosa minus sufficiunt ad moderandum febris inpetum; prodest iis simul jungere efficaciora, quae eidem inserviunt scopo. — Omni proinde bihorio remedia F. 33. 39. et si nimius urget aestus mixtura F. 52. et similia exhiberi possunt.

§. 235.

Quamprimum symptomatibus mitioribus factis, aeger reconvallescere incipit: consultum

tunc quidem erit, potionem laxantem F. 50. exhibere, eamque post octo vel quatuordecim dies repetere. Victus interim et vitae exactum observetur regimen supra descriptum.

Symptomatum medela.

§. 236.

Sanguis interdum tanta copia, profluit e naribus, ut periculum vitae inferre videatur. Si itaque pulsus plenus, extremitates corporis calidae, et color labiorum et faciei, ruber, deprehenduntur, periculum nullum instare cognoscimus. Haemorrhagia proinde, sub his morbi conditionibus, sibi relinquenda, nullisque medicamentis adstringentibus, suppressenda.

Si pulsu vacillante, concidant venae, pallorque et lipothymiae sequantur, adeoque metus sit, ne ex hac adeo magna inanitione, syncope, convulsio et mors sequantur, sistendum tunc esse fluxum, facile patet.— Huic vero scopo, praeter ligaturas manuum et pedum, cucurbitasque, secundum GALENUM, hypochondriis appositas, optime inservit turunda, ex linteo carpto, facta, atque solutione meracissima vitrioli albi, probe inbuta, narium cavis quam profundissime immissa et relicta.

De reliquo a missione sanguinis in hoc morbi statu parum boni sperandum, imo vero timendum, ne per illam improvide adhibitam, malum ab inanitione, augeatur.

§. 237.

Ubi magna, aegrum divexat *fitis*, faucesque et lingua arida sunt, praeter humectantia §. 231.

232. egregie infervit serum lactis recens, in cuius mensura drachma dimidia vel integra, nitrificati, fuit soluta, subfrigide et parvis haustibus, exhibendum.

§. 238.

Anginosa inflammatio, optime discutitur frequenti linctu;

℞. Julep. rosar. ℥i.
nitr. depurat. gran. XV.
camphor. gran. iij. in drachm.
olei amygd. dulc. soluti.

M. F. linctus de quo aeger saepe parvum cochleare deglutiat.

§. 239.

Cephalalgia plethorica, cum incipiente animi emotione, praeter missionem sanguinis et remedia subacida, mitigatur epithemate F. 55, subfrigide temporibus et toti capiti raso, applicato, interdum quoque scarrificatione narium mediante calamo stramineo, intruso.

§. 240.

Reliqua symptomata, ut diarrhoea, vomitus, sudor, quae raro in hac febre excedere observantur, ex iis, quae in febrium generali consideratione proposuimus, dijudicari et curari debent.

Monita practica.

§. 241.

Quemadmodum missio sanguinis, in principio febris ardentis, utilissima judicatur §. 229. ita in decursu ejus saepe nocet, imo magnum

periculum affert, si in extremitatibus frigus, circa pectus vero et praecordia, aestus ingens sentitur, pulsusque celer et debilis, vires jam esse projectas, doceat. Eadem nocitura judicatur tempore quo crisis instat naturae. — Symptomata interim graviora, nullo alio remedio superanda, saepe sub signis venaesectionis nociturae, eandem svadent, ut v. c. angina suffocans, dolor pleuriticus, inflammatio instans cerebri et pulmonum.

§. 242.

Cum ab imprudenti, potus frigidi exhibitione, facile partes solidae constringantur, atque liquida coagulentur, consultius esse putamus in febre ardenti propinare potius tepidos quam gelitos potus. §. 231.

§. 243.

Deliria, quae in hac febre frequenter adesse solent, optime praecaventur, et compescuntur, si aegri quotidie per aliquot tempus, extra lectum, erecto corpore in sedili commodo, morentur, simulque curetur, ut aër cubiculi sit purus, frigidus, integumenta vero non aggravantia et suffocantia. Pedes saepe fricentur, et in calore ferventur, vel iis synapismi adplicentur.

§. 244.

Omnis generis medicamenta calefacientia, alexipharmaca nociva sunt, morbumque insanabilem reddunt. Neque praeter enemata emollientia antiphlogistica, in vigore febrili alia laxantia stimulantia locum habent.

SVBSECTIO IV.

DE FEBRE BILIOSA.

Theoria morbi.

§. 245.

Febbris biliosa, quae a recentioribus medicis ad febres ardentes referri solet, est febris continua plus minus acuta, cum rejectione bilis per vomitum et alvum conjuncta.

§. 246.

Intenso aestu, siti et inquietudine aggreditur aegrum, in mindri tamen gradu haec ut plurimum adiligunt symptomata, quam in causo. His junguntur copiosa pravorum humorum cum difficultate et angustia per alvum dejectiones, atque simul vomitus biliosi vel saltem perpetui vomendi conatus. — Externa frigent, ardent interna. — Urgent quoque cardialgicae anxietates atque ventris et intestinorum dolores vehementes. — Pulsus est celer, saepe parvus.

§. 247.

Ex his phoenomenis §. 246. satis patet, febrem biliosam a causo, differre in eo, quod symptomata omnia sint benigniora, quodque excretiones biliosae modo per vomitum, modo per diarrhoeam, ut plurimum per utramque viam, obveniant, in causo vero conclusa detineatur materia noxia.

§. 248.

Ad hanc febrem *disponunt*, inprimis, temperamentum cholericum sanguineum, atque diaeta calida, et acris. *Occasionem* vero dant, ira vehe-

mentior, ante et post cibum fermentescens, et potum similem frigidum, ingestum; motus quoque corporis vehementior et perspiratio, subito suppressa.

§. 249.

His positis causis §. 248. bilis cystica, nimia copia in intestinum duodenum effunditur, atque cum cibus et potu fermentantibus, mixta et acido corrosiva facta, *causam proximam* hujus febris inflammatoriae constituit.

§. 250.

Quoad *prognosin*, experientia edocti, novimus, minus periculosam hanc esse febrem, si biliosa materia mox primis diebus morbi, copiose ejicitur sursum: graviolem vero, si vel exigua ejus expellitur portio sub perpetuis vomendi conatibus, vel si per canalem intestinorum tarde voluta exitum quaerit. — Utraque haec conditio, imprimis si simul adsint aestus circa scrobiculum cordis, frigus partium extremarum, inquietudines, singultus, et alia, inflammationem ventriculi et duodeni, deliria, convulsiones, gangraenam, praenunciat. — Alvus sicca multo periculosior est, soluta, praesertim in statu morbi. — Improvide tractata facile transit in febrem hecticam, ex adrosione ventriculi, intestini duodeni vel alius visceris. — Excipit quoque hanc febrem saepe passio coeliaca vel dysenteria. — Quando dolor et ardor repente cessant, aestuique succedit frigus, et simul sub virium decremento lipothymiae accedunt, sphacelum adesse, cognoscitur.

Modus sanandi.

§. 251.

Ut jam ad curationem veniamus, causa proxima §. 249. potissimum est oppugnanda. — Idcirco materia biliosa caustica corrigenda et foras eliminanda simul vero aestus inflammatorius mitigandus. Hinc sequenti modo curatio instituenda.

§. 252.

Si a nimia copia, alimentorum fermentantium haec febris orta est, atque vomendi conatus, cardialgiam excitantes simul adfunt: leni vomitorio F. 1. 2. materia acris illico est exturbanda. Praestat vero, in corporibus debilioris constitutionis inprimis si ab ira vehementi, morbus originem habet, ad vomitus secundandos exhibere remedia F. 31. 32. simulque enemata emollientia F. 43. 49. omni bihorio injicere, donec conatus vomendi mitiores sint facti. — Experientia quoque docuit radicem ipacacuanhae ad grana tria, omni bihorio vel trihorio, datam in hoc casu maxime profuisse.

§. 253.

Si materia biliosa, jam ad intestina profundius delata, ex doloribus intestinorum atque diarrhoea incipiente, cognoscitur: praeter enemata supra laudata, rhabarbarina et mannata cum salibus mediis locum habent. F. 3. 5.

§. 254.

Quae, evacuationibus his quidem praemissis, remanet materia acris corrupta, in primis viis, optime corrigitur et iners redditur, potu demulcente,

cente, repetitis vicibus sed magna copia, assiduo hausto. — Huic vero scopo imprimis inserviunt: decocta avenacea F. 30. et hordeacea, juscula tenuissima ex pullo parata, emulsiones amygdalinae F. 61. aqua pura cum octava lactis parte, mixta, et decocta panis tostii. F. 62.

§. 255.

Si his utcunque, mox a principio, exhibitis remediis §. 252. 253. 254. aestus febrilis haud decrescit, pulsusque durus et plenus aliaque inflammationis indicia adsunt, ad praecavendas et resolvendas inflammatorias stases, mox sufficiens sanguinis copia ex vena secta, est detrahenda, atque simul, nitrosa, emulsa F. 39. 61. et omnis generis potus aciduli diluentes F. 40. 41. 42. 51. in usum vocari possunt. Haec continuanda tamdiu, donec vim febris fractam esse pateat.

§. 256.

Hac itaque methodo, prudenter adhibita, ut plurimum febres ardentes biliosas profligari posse cuilibet rei perito notum est, ita ut aegrotantes, sub exacto vitae regimine et adhibitis roborantibus remediis, perfectae sanitati restituantur.

§. 257.

Sunt quoque febres biliosae, quae secundo vel tertio quovis die exacerbantur atque ideo diutius protrahuntur. Hae vocantur febres biliosae remittentes quarum expertissimus PRINGLE duas species indicat. Una a sicco, altera vero a humido aere in paludosis locis, originem habet. Haec periculosiora habet juncta symptomata quam illa.

§. 258.

Mox a principio, sub ipso quoque paroxysmo, pro avertenda inflammatione; larga copia, sanguinem detrahere jubet. Post missionem sanguinis, tempore remissionis, dat lene emeticum ex pulvere Ipecacuanhae. Si dolores colici, et delidendi conatus aegrum divexant, laxantibus rhabarbarinis mox alvum ducit. Evacuatis sic primis viis, haustus salinos F. 60. 63. per aliquot dies sumere jubet. Quamprimum urina redditur cocta, febrisque intermittit, omnem curationem cortice peruviano absolvit. F. 64.

§. 259.

Si febris haec, ex perversa adhibita' medela, vel alia quacunque causa; in acutam continuam transiisse, animadvertitur; clarissimus autor; tunc quidem, missionem sanguinis, repetit, vel si dolor capitis, deliria et pulsus debilis adsint, hirudines ad tempora applicat, vesicatoria adhibet, atque omissis purgantibus et emeticis, remediis F. 65. alexipharmacis, reliquam curationem absolvit.

§. 260.

Quod attinet *symptomatum*, mitigationem, ea omnia sunt observanda, quae capite praecedenti, notavimus, §. 236. — 239. *Bilis* inpetuosae excretionis per os et alvum mitigantur remediis F. 60. 63. 66. §. 211. et si nimium excedant, cortice cascarillae atque mixtura anodyna F. 67. Adhiberi simul, optimo cum successu possunt facculi ex herbis aromaticis, vino calido inbuti et bene expressi, vel etiam linteum quadruplicatum spiritu vini camphorato tepido, inbutum,
 quae

quae externe ventriculo apposita egregie profuisse experientia confirmat.

Monita practica.

§ 261.

Evacuationes emeticae et catharticae, non nisi, sub initium morbi, quando bilis, in duodenum effusa est, locum habent, quia in statu vigente, mora temporis, bilis jam corrupta et caustica facta, absque metu subsequuturae inflammationis, remediis hisce commoveri nequit. Praestat potius in hac morbi conditione, saepe enemata oleosa applicare, atque remediis nitrosi et demulcentibus §. 254. materiam acrem obtundere et ad exitum disponere.

§. 262.

Venaesectio raro necessaria est, et non nisi, praesente plethora, aestuque febrili insigni, ad praecavendam inflammationem, administrari debet. Circa dies criticos instituta, saepe deliria, et faucium inflammationes induxisse, observatum est.

§. 263.

Regimen calidum, atque *medicamenta volatilia alexipharmaca*, omni modo vitanda. His enim materia biliosa, in sanguinem diffunditur, atque facile, inflammationes, rheumatismos, icterum, et alia mala excitare solet.

§. 264.

Adstringentia, et *opiata*, intempestive adhibita, magnum afferunt periculum, et non nisi, materia prius evacuata, adhiberi debent. — Caveat

veat quoque sibi medicus ne *terreis* medicamentis, nimia copia exhibitis, tenacitatem materiae peccantis augeat, et ad febres hecticas viam sternat.

§. 265.

Potus frigidus, foeculentus, fermentescens, anxietates flatulentas, motusque spasticos excitat, ab eo igitur plane abstinendum.

§. 266.

Camphora ad granum unum nitrosis, pulveribus mixta vel in emulsione exhibita, saepe ad praecavendam inflammationem in hac febre diutius persistente utilis fuit.

§. 267.

Arrosionem in intestinis jam factam, egregie mitigant enemata ex lacte cum vitello ovi et sevo cervino parata et saepe injecta.

S U B S E C T I O V.

DE FEBRE CATARRHALI BENIGNA.

Theoria morbi.

§. 268.

F*ebris catarrhalis* benigna ab artis medicae scriptoribus, vocatur, febris continua remittens, adfectui catarrhali falso, acri, juncta, et salutariter ut plurimum decurrens.

§. 269.

Incipit plerumque haec febris, cum horripilatione, atque frigore, horis vespertinis. — Praecurrunt vel statim junguntur, gravedo, coryza,

ryza, raucedo, molesta deglutitio, tussis sicca, pectoris praegravatio, totiusque corporis languor, cum doloribus tensivis in dorso. — Frigus quod intra horae spatium terminatur, excipit calor lenis, cum angustia et anxietate praecordiorum, capitisque dolore. — Hic calor altero mane, sudore prorumpente, notabiliter mitescit, versus vesperam vero, praegresso frigore denuo exacerbatur. — Pulsus, in toto morbi decursu, est celer et frequens, urina vero praeter colorem aurantium, hoc habet particulare, quod cuticula lacteo liventis coloris vitro adhaereat, atque sedimentum roseum pallidum ad fundum dimittat. — Solvitur haec febris, nisi perversa medela, vel malo vitae regimine turbetur, urina cum sedimento, diarrhoea, sudore, et excretionem per nares et bronchia, primo ut plurimum vel secundo septenario.

§. 270.

Febris proinde continua remittens, catarrhali adfectui juncta, neque periculosis symptomatibus stipata, praesentiam febris catarrhalis benignae manifestat.

§. 271.

Differt a febre intermittente quotidiana in eo quod vesperi tantum exacerbetur veram vero apyrexiam non habeat: a catarrhali maligna vero, ut postea patebit, benignitate symptomatum.

§. 272.

Serum sanguinis, viscidum, tenax et acre, in minimis vasculis cutaneis, praecipue in glandulosa tunica narium, bronchiorum et intestinorum, stagnans, eamque inflammans, *causam proximam* hujus

hujus febris constituere ex phoenomenis §. 269. facile colligitur.

§. 273.

Omne id, quod insensibilem perspirationem cutis, minuere et suppressere, et ideo feri sanguinis superflui, per cutem eliminandam copiam, intra corpus retinere valet, *causae occasionalis* munere fungitur. — Huc vero imprimis pertinent: corporis aestuantis refrigeratio: potus frigidus, corpore calente, affatim haustus: materia acris in coryza excerni solita, inprovidae repulsa; scabiei et ulcerum manantium retropulsio, et alia.

§. 274.

Causas praedisponentes sistunt, victus durus, acris, lentescens, vini adusti abusus, imprimis vero systematis seroso-lymphatici, laxitas.

§. 275.

Ut jam ad prognosim deveniamus, crebriori observatione, compertum habemus, febrem, catarralem benignam, in corpore ceteroquin sano, nisi perversa medendi methodo, et malo regimine turbetur, et exacerbetur, succedente critico sudore, aliisque excretionibus, primo vel secundo septenario salutariter, decurrere. In corporibus vero impuris et acri lymphae scatentibus, imprimis accedente abusu remediorum alexipharmacorum, regimineque coacto facile in malignam, cum vel sine exanthematibus transmutari.

Modus sanandi.

§. 276.

Victus, durante febre, sit parcus et tenuissimus, maximam partem ex jusculo avenae excorticatae, et jure tenuiori carniū bonae

nae notae constans. Potus sit decoctum panis cum quarta parte vini rhenani, vel infusum florum sambuci, cum tertia parte lactis mixtum, et aliae tisanae diluendae acrimoniae accommodatae. — Haec non frigida, sed tepida hauriantur, ne pertinaces circa fauces et guttur introducantur metastases, febrisque protrahatur. — Ob easdem rationes aër, in quo versatur aeger, non sit frigidus, neque calidus, sed temperatus et purus. — Si observato hoc vitae regimine simul pediluvia tepida adhibeantur atque ita transpiratio cuticularis moderata conservetur: febres catarrales benignae statim sub initium, absque medicamentis ex fonte pharmaceutico desumptis, feliciter profligantur.

§. 277.

Omnis reliqua febris sanatio absolvitur, dum serum tenax, et acre resolvitur et demulcetur, sanguinique circulanti restituitur, id vero quod corruptum est atque superfluum, per vias naturales, expellitur.

§. 278.

Solutio feri pituitosi obstruentis, obtinetur, potissimum per diluentia, et incidentia salina, ejus acrimonia obvolvitur, oleosis et humectantibus, expulsio vero corrupti et superflui diaphoreticis lenioribus efficitur.

§. 279.

Medicus proinde, curationem hujus febris, adgressurus, primo inquirat an signa colluviei mucosae viscidae, in primis viis, haerentis, adsint. De praesentia ejus certior redditus, statim ab initio morbi, canalem intestinorum lenissimo
laxante

laxante rhabarbarino F. 3. 5. vel uncia dimidia falis
SEIGNETTE aut sedlicensis, expurget.

§. 280.

Si nulla evidētia adsint signa pituitosae fabur-
rae in primis viis, sufficit alvum apertam servare
per dietam liquidam ex prunis, passulis, et po-
mis, atque etiam per enemata emollientia sale
quodam acuata.

§. 281.

Evacuatis sic primis viis, horis matutinis, ubi
febrilis calor remissior esse solet, ad cuticularem
excretionem promovendam, exhibeantur, infu-
sa resolventia atque diaphoretica F. 45. 68. repeti-
tis vicibus sed sufficienti copia, haurienda. —
Eidem quoque scopo, pro temperamentorum ra-
tione, inserviunt, essentiae, scordii, pimpinel-
lae albae, cum spiritu nitri dulcis remixtae.

§. 282.

Ut porro feri pituitosi solutio, ejusque per
secreciones naturales expulsio, inpetretur, omni
trihorio, per diem exhibeantur, mixtura F. 69.
decocta F. 30. 44. et infusum modo laudatum
F. 68.

§. 283.

Tempore nocturno, exacerbatio febrilis, mi-
tigetur pulveribus nitrosis F. 38. vel etiam mixtu-
ris F. 39. 61. per intervalla hauriendis.

§. 284.

Simplicissima haec methodus sanandi, sub de-
bito vitae regimine, continuetur, per unam aut
alteram septimanam, donec, crisin ex aucta in-

primis transpiratione, et urina cocta cum sedimento copioso, instare animadvertamus. Quae quidem criticae evacuationes, potu aquoso diluente F. 44. 45. 68. omnimodo promoveri debent.

Mitigatio symptomatum.

§. 285.

Cum *alvus adstricta*, calorem febrilem exacerbare, imo in statu morbi, si diu fuerit clausa, deliria, comata, et convulsiones inducere observetur; eam quidem per omnem morbi decursum, enematis emollientibus F. 43. apertam servare oportet.

§. 286.

Diarrhoea moderata, quae fit sine torminibus, nunquam temere supprimenda, sed potius rhabarbarinis juvanda. Quae nimis inpetuose accedit refracta dosi corticis cascarillae F. 70. vel mixtura F. 58. mitiganda.

§. 287.

Tussis violenta, a materia acri et pituitosa, excitata mitigatur; decocto tenui avenae exorticatae, cum vitello ovi et saccharo remixto. Eisdem scopo inservit oxymel scilliticum cum syrups de althaea et capillo veneris, anatica portione mixtum et similia. F. 44. 71. Possunt quoque versus noctem, si necessitas id ita exigat, quatuor vel quinque grana massae pillularum de styrace, vel aliud lene opiatum cum haustu lactis sumi.

§. 288.

Nimiae narium siccitati, occurritur, pulvere salis amoniaci volatilis cum aliquot guttulis olei
majo-

majoranae remixto , atque vaporibus decocti emollientis, naribus saepe attrahendis.

Monita practica.

§. 289.

Evacuaciones violentiores , per vomitum et alvum, obstructiones pertinaces, in partibus glandulosis relinquunt, atque naturalem morbi decursum turbant. Praeter enemata atque rhabarbarina lenissima, sub initium morbi, alia laxantia, locum non inveniunt.

§. 290.

Diaphoretica calidiora, in primis salia volatilia, omni modo, vitanda, quia facile stases inflammatorias in gutture et pulmonibus causant et morbum incurabilem reddunt.

§. 291.

Missio sanguinis, raro necessaria, in hac febre observatur, imo quandoque nocet. Si vero plethora evidens, vel visceris cujusdam ex metastasi, instans inflammatio, eam exigere videatur, in malo, in primis recenti, optimo cum successu instituitur.

§. 292.

In tussi diuturniori, abusus expectorantium dulcium, nimium relaxat et ideo ad phthisin et cachexiam viam sternit. Convenit potius materiam in pulmonibus, haerentem, remediis resolventibus prius praeparatam, lenioribus laxantibus, praecipue manna calabrina in aquae foeniculi, uncis tribus, soluta, per inferiora educere.

§. 293.

Si, febre finita, a nimia pulmonum relaxatione, tussis et excretiones materiae pituitosae, per sputa copiosiora, continuant; cortex tunc quidem cascarillae, vel ejus extractum in aqua solutum, saepe de die, ad corroborandos pulmones, exhibere convenit.

§. 294.

Succinata et ligna antivenerica, in simplici catarrho, alias proficua, praesente febre nocent.

§. 295.

Inter remedia expertae virtutis, numerantur.

1.

℞. Olei olivar. recent. ℥i℥.

Aqu. pur. font. ℥vj.

Spirit. corn. cerv. gutt. 60.

Syr. pectoral. ℥i.

M. D. S. omni quadrihorio cochlear. iij. vel quatuor.

Hoc remedio, tussim recentem, praemissa venae sectione, saepe fuisse profligatam adfirmatur.

FRINGLE.

2.

℞. Stib. diaphor. non ablut. ℥i℥.

Oxymell. scillit. ℥ij.

Syr. flor. rhoead. ℥j.

Aqu. hyssop. ℥viiij.

M. D. S. omni hora cochl. j. - ij. STOERK.

SUB-

SVBSECTIO VI.

DE FEBRE CATARRHALI MALIGNA.

Theoria morbi.

§. 296.

Febri maligna, nobis vocatur in genere, febris continua, quae cum subitanea virium prostratione, citra causam manifestam, adcedit, ut plurimum contagiola et epidemica est, atque symptomatibus infuetis et solito gravioribus, cum vitae periculo, decurrit.

§. 297.

Ex hac morbi descriptione, facile, cuilibet patet, malignitatem non esse, de essentia morbi, sed potius ejus existere accidens. — Idem enim morbus potest esse benignus et malignus, prout vel consuetum naturae benignioris ordinem sequitur vel ab eo recedit. Idcirco male consulunt medici suis aegrotis, qui malignitatis vocem, ad quosvis graviores morbos, praesertim acutos cutaneos, extendere solent.

§. 298.

Summa proinde atque repentina, circa febris accessum, virium exolutio, juncta cum notabili animi abjectione et inquietudine, aliisque symptomatibus infuetis, et solito gravioribus, signa essentialia febris malignae constituunt.

§. 299.

Cum vero plurimae esse possint febres malignae, pro diversitate causarum atque symptomatum, quibus sua decurrant spatia: nos quidem febrem catarrhalem exempli loco exponere con-

stituimus, ut pateat, qua methodo, reliquae febres malignae tractari debeant.

§. 300.

Est autem *febris catarrhalis maligna*, febris acuta continua maligna §.296. adfectui catarrhali juncta.

§. 301.

Hae vero sunt notae, quibus se prodere solet. Ante, quam ipse incipit morbus per aliquot dies, aeger conqueritur de artuum dolore gravativo, inappetentia, nausea, alvo vel obstructa vel soluta, capitis dolore, somno inquieto, levi animi dejectione, viriumque languore.

Accedit postea tempore vespertino, horripilatio, et frigus. — Gravior mox excipit aestus febrilis, atque statim, magna virium sequitur exsolutio, cum notabili animi dejectione et inquietudine. — Succedunt quoque dolores, circa dorsum et artus, tendentes, saepe prodromi exanthematum latentium. — Caput insigniter dolet, praecordia anguntur, interna ardent. — Somnus vel interruptus vel nullus. — Mens turbata, sermo delirus.

Pulsus plerumque debilis parvus et celer, nonnunquam fortis et durus est. Lingua primis morbi diebus sicca et albicans, in progressu morbi, coloris atrorubentis. — Fauces, aphis obsessae, urent, spirationemque cum deglutatione difficilem reddunt. Urina, ab initio morbi mox cruda et turbida est, saepe atro ruffa, absque sedimento. — In nonnullis succedunt, conatus vomendi, et vomitus biliosi, cum cardialgia.

Calor, et quae ei junguntur symptomata, tempore matutino, mitiora, versus vesperam denuo
exacer-

exacerbantur. Fieri quoque solet, ut quarto vel septimo morbi die, in superficie corporis, maculae varii coloris, sub nomine petechiarum vel purpurae miliaris, appareant. Sub hoc morbi statu, omnia acerbiora et periculosiora observantur. Contagiosa et epidemica saepe esse solet.

§. 302.

Ex his signis, quibus hic morbus, suum absolvit decursum, §. 301. ea, quae supra indicavimus §. 298. juncta cum adfectu quocunque catarrhali, essentiam febris catarrhalis malignae constituunt. Quae reliqua sunt signa, vocantur adlidentia.

§. 303.

Post adcuratum examen totius historiae, febris catarrhalis malignae §. 301. intelligitur, *causam proximam* ejusdem in putredinosa humorum dissolutione, a singulari acrimonia summae agilitatis atque tenuitatis, excitata, consistere.

§. 304.

Si vel omne sensuum, considerationisque acumen adhibeamus, tamen, in quo proprie consistat haec depravata humorum mixtio, adcurate definire non possumus. Corruptionem putredinosam laticis inprimis serosi, indicant, excretionibus, cutis, renum et alvi, odorem putridum spirantes; summe activam et halituosam vero ejus indolem, virium subita exsolutio.

§. 305.

Ad hanc febrem *disponunt*: excretionibus serosae, quocunque modo retentae atque suppressae; colluvies acris, rancida biliosa, in primis viis col-

lecta; nimius corporis motus; praesertim vero, animi adfectus, ut ira et moeror.

§. 306.

Occasionalium causarum munere funguntur imprimis: cibi fermentescentes, ex carnibus putrescentibus parati: potus ex aquis corruptis et impuris: corporis exæstuantis subita refrigeratio: exhalationes putridae per respirationem adtractae, et sanguineae massae in pulmonibus admixtae: omnis generis evacuationes validae, animique adfectus diuturniores.

§. 307.

Gravitas morbi a majori, vel minori functionum laesione, in principio morbi aestimatur. Cumque vix ullum evacuationis genus criticum observetur; prognosis fere semper fallax et dubia manet. In genere patet, symptomata a contagio, contracta plus alere periculi, quam ea quae a vitiosa humorum indole, excitantur.

§. 308.

Sanitatis recuperandae spem aliquam faciunt: sudor tepidus per universam corporis superficiem circa dies criticos, nempe circa septimum, undecimum et decimum quartum, liberalior, et placide expulsus; alvus circa idem tempus, per aliquot dies fluida: pulsus mollis et aequalis; situs corporis quietior, animus erectior: urina turbida, cum sedimento: auditus difficilis. — His apparentibus phaenomenis, circa diem decimum quartum, aegrotos saepe cum sanitate in gratiam rediisse, crebra nos docuit experientia.

§. 309.

Summum vero periculum et mortem annunciant, repentina virium dejectio, tendinum subfultus, vomitus et diarrhoea, quae putridum spirant odorem: exanthemata livida, nigricantia, subito recedentia faucium ab aphtis inflammatio, coma, delirium, convulsio, singultus, sudor frigidus, alvi et vesicae foecum involuntaria excretio.

Modus sanandi.

§. 310.

Primum, quod medico, sanationem hujus febris, suscipienti incumbit, est, ut exactissimum vitae regimen praescribat. §. 166. 167. 168. Quamprimum lectum petere aegrotus cogatur, inprimis curandum, ut aër in cubiculo, ope foci luculentis, sub camino, quotidie renovetur atque vapore aceti corrigatur, et aliis modis refrigeretur et purior reddatur. — Diaeta sit subacida, putredinosae cruoris corruptioni contraria. Inprimis mutationes lintheaminum praecipue indusiorum, omni adhibita cautela, ad minimum, omni triduo, instituendae ne absorptione impuratum, sanguis impurior reddatur, morbique adaugeatur fomes. Vitetur corporis situs erectus, inprimis capitis, tam in, quam extra lectum, ne sequantur lipothymiae, motusque humorum, interiora versus vertatur. Animus fervetur tranquillus atque erectus.

§. 311.

His ita praescriptis regulis vitae, reliqua omnis curatio, eo redit, ut ulteriori humorum corruptioni obicem ponamus: omnis generis eva-

cuationes salutiferas modeste promoveamus, atque viribus vitae justo debilioribus, consulamus.

§. 312.

Cum experientia constet, in febribus malignis, saepe sanguinem de vena produisse spissum et inflammatorium, post aliquot dies vero dissolutum et tenuem; statim primis morbi diebus, in corpore robusto et plethorico, inque aetatis flore, constituto, venam secandam esse, putamus. Detracto enim sic sanguine superfluo, pulsus debilem et parvum, fortiolem et pleniolem redditum atque corruptioni putredinosae simul obicem positum fuisse, experti sumus.

§. 313.

Proficua quoque atque necessaria, eadem sanguinis judicatur evacuatio, quando, ex subita pectoris oppletione, respirationeque laboriosa et celeri, inflammationem pulmonalem instare animadvertimus.

§. 314.

In statu, illi, quem descripsimus opposito §. 312. missio sanguinis nociva est et periculosa, quia vitales functiones deprimit, motusque naturae salutiferos, infringit.

§. 315.

Cum saepe in primis viis haereat, colluvies materiae corruptae atque putridae biliosae, quae ad sanguinis massam delata, ejus corruptionem augere, omniaque morbi symptomata graviora reddere valet; vis morbi optime infringitur, si statim in principio ejus, primae viae probe eluantur.

§. 316.

§. 316.

Si itaque ructus foetidi, vomendi conatus, et vomitus ipsi, bilis corruptae in ventriculo haerentis, praesentiam manifestant: statim eam remedijs F. 1. 2. evacuare proderit. Versus noctem, absoluta pharmaci observatione, enema emolliens injiciatur. F. 72. Reliqua in monitis.

§. 317.

Altero die post absolutam pharmaci operationem, ad eluendam, quae in intestinis, accumulata haeret, corruptam materiam, et cujus in primis praesentiam manifestant, spastici abdominis dolores, diarrhoeae spontaneae spumescentes olidae, proderit exhibere leniora laxantia. F. 4. 6. 50. 73.

§. 318.

Evacuatis sic primis viis §. 316. 317. primaria intentio medici, eo redire debet, ut ulterior corruptionis putridae progressus coerceatur. Inter remedia, quae huic satisfaciunt indicationi, primaria sunt, acida ex vegetabili et minerali regno desumpta, porro quoque camphora et cortex peruvianus. Ex his seligenda sunt ea, quae in mitigandis morbi symptomatibus, profuisse, experientia docuit.

§. 319.

Omni bihorio, proinde a principio exhibeantur unciae duae mixturae cujusdam antiphlogisticae F. 39. 44. et omni hora vasculum tisanae cujusdam F. 40. 41. 42. 48. bibatur. — Quotidie ante febris exacerbationem, pediluvia ex aqua tepida adhibeantur. — His remedijs simplicissimis, causam morbi materialem saepe emendari, solvi,
mobi-

mobilemque reddi, atque a natura per vias ordinarias excerni, experientia testatur.

§. 320.

Si his quidem auxiliis §. 319. symptomata morbi, mitiora fieri, et corpus, molli transpiratione, cum virium augmento, humescere, animadvertimus; iisdem sedulo continuandum, neque aliis remediis natura turbanda, donec signa coctionis et criseos appareant. Hac vero sequuta, laxans rhabarinum aliquoties datum, omnem paginam absolvit.

§. 321.

Si vero causa morbi gravior, hac simplici methodo, superari nequit, (graviorem vero eam esse ex symptomatibus incrementibus dignoscitur) efficaciora tunc quidem remedia putredinosae corruptioni, resistendi, vi, praedita, in usum vocanda. In hunc finem inprimis mixturae F. 52. 53. 54. optimo cum successu, omni bihorio vel trihorio continuari possunt. Ne vero eadem chorda oberrare videamus, interdum spiritus Mindereri F. 35. vel sales alcalini fixi et volatiles, aceto aut limonum succo ad saturationem usque remixti, et aquis destillatis, cardiacis diluti, interpolari possunt. F. 74.

§. 322.

His datis remediis §. 321. Si nihilo fecius graviora accedunt symptomata, viresque vitae ita exsolvuntur, ut decubitus materiae putrescentis atque inflammatio in partibus nobilioribus, praecipue in cerebro, sit pertimescenda: tunc ab usu remedium acidorum recedendum, omnique potius studio laborandum, ut auxiliis efficacioribus, vires vitales extinctae excitentur, atque ulterior
cor-

corruptio praepediatur. Pro hoc scopo *camphora* et *cortex peruvianus* facile reliquis palmam praeripiunt.

§. 323.

Inter remedia composita, nobis inprimis familiaria sunt, emulliones atque potiones descriptae F. 75. 76. 77. 78. 79. quae alternatim optimo cum successu in usum vocari, et tamdiu continuari possunt, donec vires vitae aliquo modo exurgere atque pathemata mitiora fieri, animadvertamus.

§. 324.

Praeter haec quoque remedia, vires vitae languentes excitant, atque simul humores a capite avertunt, velicatoria in dorso, et epispastica in plantis pedum applicata, diuque aperta servata.

§. 325.

Quamprimum febris a sua vehementia remittit, symptomata periculosiora minuuntur, pulsus vero elevatior, et transpiratio placidior succedit, tunc motus naturae, medicamento roborante et analeptico juvandi. Vinum rhenanum vel aliud bonae notae, atque corticem peruvianum, sub quacunque forma datum, optime profuisse in hoc casu, experientia nos docuit. F. 79.

§. 326.

Quando, his omnibus bene observatis, vires corporis increfcere, et aegrotus, ad se redire, animadvertitur, tunc ad eluendas, quae in primis viis adhuc haerere solent, impuritates, aliquoties, drachma semis rhabarbari cum aequali portione tartari praeparati, remixta, exhibeatur vel
F. 50.

F. 50. Aeger vero sedulo omnia ea observet quae supra §. 169. indicavimus.

Symptomatum mitigatio.

§. 327.

Si in ullo morbo, certe in omnis generis febre maligna, medicus ad singula symptomata, attendere, atque therapiae generalis doctrina probe instructus, sedulo inquirere debet, an symptomata a vi vitae aut morbi fuerint excitata; an porro evacuationes sint spontaneae, an vero symptomatae vel criticae. Quae sibi relinquenda, quae promovenda vel suppressenda facile tunc quidem determinare poterit. In hoc omne sanationis artificium consistit.

§. 328.

Sudores tempore cruditatis, ab initio morbi, copiosius manantes, pessimi semper indicii, moderantur, aëre temperato, saepeque renovato; stragulis levioribus; linteaminum praecipue induliorum, mutatione caute instituta: inlesu, si vires permittant, extra lectum; et potu acidulo frigidiusculo. — Qui vero sudores tempore instantis criseos, sive perfectae sive imperfectae, cum foetore et aliquo cum levamine aegroti, de corpore erumpunt, infuso tepido, florum sambuci vel herbae theae placide promoveantur. — Caveat vero sibi aegrotus, hoc tempore morbi ne transpirationem temere, refrigerio, supprimat.

§. 329.

Nimius alvi fluxus, sub virium prostratione, tempore cruditatis, accedentis, primo rhabarbarinis

rinis moderandus. Si, his adhibitis non minuitur; corroborantia et anodyna F. 58. 59. 80. in usum vocanda. — Circa dies criticos, nunquam sistendus, sed si natura ad hanc excretionem inclinare observatur, mannatis, Tamarindinatis et rhabbarinis juvandus. F. 6. 50.

§. 330.

Vomitus sub initium morbi, curatur remediis supra indicatis §. 316. In augmento vero morbi, viribus jam prostratis, enemate, ex decocto avenae excorticatae cum melle coercetur.

§. 331.

Haemorrhagia narium si moderata est, nunquam temere supprimenda, si effusius manat, viresque vitae infringit, partes corporis inferiores, in calore et madore servandae, vesicatoria mox suris applicanda; alvus enemate solvenda, et ea observanda quae supra indicavimus. §. 236. Si vero paucae guttulae tantum e naribus stillant, temporaque a sanguine turgent, praeter dicta revellentia, cucurbitulas cervici admovere atque sanguinis stillicidium per intrusum naribus stramineum culmum proritare expedit.

§. 332.

Cephalalgia gravissimum morbi symptoma, praeter acida temperantia, mitigatur epithemate, quod paratur ex grumis panis domestici cum baccis juniperi, contulis et aceto rutae. — Solvi quoque potest camphora in aceto rosaceo et spiritu liliorum convallium, atque linteis quadruplicatis fronti et temporibus applicari. F. 55.

§. 333.

Singultus et cardialgia mitigari, aliquo modo possunt, emplastro ex theriaca, oleo nucistae expresso, camphora, balsamo peruviano, croco, oleo de cedro et pauxillo spiritus vini, praecordiorum regioni apponendo. Non negligenda vero remedia, causae horum symptomatum tollendae propria.

§. 334.

Faucium ardor atque siccitas molestissimum huius morbi symptoma, praeter remedia diluentia interna, mitigantur, gelatina cornu cervi cum succo limonum et saccharo cantho, vel syrupo diamoron et frequenti quoque oris collutione cum decocto ficuum, syrupo diamoron et nitro, mixto.

§. 335.

Sopore urgente, surae et plantae pedum, cum aceto fricari, imo epispastica applicari possunt. Rubefacientia ex aceto vini cum calida, pedibus applicata plus saepe praestitisse, quam vesicatoria, experti loquimur.

§. 336.

Tussis molesta mitigatur decocto F. 44. cujus omni bihorio tres unciae dari possunt; porro quoque recentissimo oleo olivarum vel amygdalarum dulcium cum aequali portione syrupi capilli veneris, remixto. F. 71.

Monita practica.

§. 337.

Venaesectionem non nisi sub initum morbi, atque vera praesente plethora, utilem esse, supra

pra indicavimus §. 312. In statu descripto §. 313. eandem omni morbi tempore prodesse, aequè facile patet. — Caveat vero sibi medicus, ne nimiam sanguinis copiam detrahat, vel sectionem pluries praeter necessitatem repetat. Vires enim vitae sic saepe deprimi, motusque resolutorios adeo necessarios infringi, crebra nos docuit experientia. — Cephalalgia molestissima, ex decubitu sanguinis ad vasa cerebri, nata, nimia atque repetita missione sanguinis saepe in delirium et phrenitidem desit.

§. 338.

Quoad *Vomitoria*, medicum, probe ad naturam morbi attendere, et internoscere oportet, quinam ex iis emetica ferant, quique eadem non tolerant, si signa §. 316. adsunt, neque febris inflammatoria contra indicat, ea tuto, praesertim in epidemice grassantibus, exhiberi posse, experientia confirmat. — Lene vomitorium enim in principio datum, non solum morbi impedit progressum, sed etiam symptomata graviora praecavet. — Si vero febris magna aut visceris cujusdam praefens cognoscitur, inflammatio, nocebit semper. — Tutius tunc quidem erit, ructus, nauseam, et oris amaritiam, remediis diluentibus mellitis, magna copia sumtis, et enematibus emollientibus, coercere. — Experientia interim docuit, si in principio morbi, hoc genus evacuationis, sub signis §. 316. fuerit neglectum idem et in ejus progressu, si vires non nimis exhaustae sint, aut suspicio inflammationis desit, cum successu dari posse.

§. 339.

Cruda quidem, in acutorum principio, ante, quam fuerunt cocta, purgare disvadet HIPPOCRATES, nisi manifeste turgeant, evacuationemque moliantur; hanc regulam tamen aliquam pati exceptionem, experientia edocti, novimus. Si itaque res, alvi subductionem postulat §. 317. tunc profecto enemata et leniora rhabbarina cum salibus neutris mixta, quotiescunque visum fuerit, etiam mox in principio, adhibenda svademus. His enim opportuno tempore datis, omnia symptomata, inprimis diarrhoeam et dysenteriam spumescentem foeditam, quae in progressu morbi oriri solent, mitiora fuisse reddita, experti loquimur. — Absolute vero prohibita declarantur ab artis medicae peritis, omnia purgantia stimulantia, acriora et resinosa, horum namque potentia, conflagrantia viscera facile phlegmonem concipere, jam HIPPOCRATES notavit.

§. 340.

A medicina *testacea* et *pulverulenta* in acutis his febribus, abstinendum esse, medici in arte exercitatissimi confirmant. Terreae namque medicamenta, ventriculo excepta, non solvi sed potius cum succo gastrico et enterico, in molestas abire concreciones saepe periculosas, crebra docuit observatio. Nunquam proinde, nisi forte febris sit orta ab acido, ejusmodi pulveres terreos, exhibendos esse putamus.

§. 341.

Si in ulla febre, certe in malignis, medicamenta sic dicta alexipharmaca, calidiora, quibus alii, materiam malignam e corpore eliminare

nare intendunt, vitanda. Haec enim ex calefacientibus conflata, motus febriles vehementer accelerant, et augent, humores ad dissolutionem putridam citius disponunt, varia tandem exanthemata producunt, et ideo morbum saepe insanabilem reddunt. Expedit igitur ab iis abstinere et potius ea sedulo adhibere remedia, quae motus febriles vehementiores, componunt, vires vitales fere extinctas, absque exaestuatione excitant, atque putridinosae corruptioni, et inflammationi resistunt. — His enim observatis corpus disponitur ita, ut in fine morbi, natura ipsa materiam correctam et mobilem factam, saepe, placida transpiratione eliminare possit.

§. 342.

Diarrhoea levior, in declinatione febris non pertimescenda, imprimis si vires vitae non sint nimis exhaustae, si vero fuerit nimia, post lene evacuans rhabarbarinum, corroborante anodyno, mitiganda §. 329. Prodest quoque, consentiente rissoto diarrhoeam compescere, et transpirationem promovere, minoribus sed repetitis dosibus, radicis ipecacuanhae. — Haec ad grana quatuor vel sex exhibita, praestantissimum in moderanda diarrhoea, si cutis est sicca, praestare solet effectum, si alvi fluxus foetidus, cum doloribus acutis imi ventris, inflammationem intestinorum, indicat et ideo funestum morbi eventum praenunciat, praeter enemata demulcentia alia non licet adhibere remedia.

§. 343.

Quamvis remedia simplicissima emollientia, refrigerantia et solventia, inter quae principem facile tuentur locum, mel, acetum, nitrum, de-

coctum hordei, aliis fortioribus calidis sint praeferenda: quaedam tamen ab autoribus laudata remedia hic adhuc notare haud superfluum esse duximus:

1.

℞. Fol. rut.
 scord. ana Manip. ii
 cortic. citr. ℥ii.
 succ. citr. ℥iij.
 (vel Acet. vin. ℥℞.)
 Aqv. commun. ℥iv.
 Liquori filtrato misce.
 roob. sambuc. ℥iv.
 Aqv. dest. cinam ℥i℞.

M. D. S. uncia una, quavis hora, die nocteque, nisi inpediverit somnus, pro dosi sumenda. Julepium hoc putredini humorum fortiter resistere praecipue in febribus epidemice grassantibus confirmat SAVVAGE.

2.

℞. Pulv. contrayerv. ℥i.
 Nitr. depurat. ℥℞.
 camphor. gr. ij.
 M. F. pulv. D. S. Sexta quaque hora sumendus.

3.

℞. Aqv. pur. fontan. ℥iv.
 — alexit. spirit. c. acet.
 (Julep. e camph. ana ℥i℞.
 pul. contray. compos. ℥iv.
 Nitr. depur. ℥ij.
 syr. e cort. Aurant. ℥vi.
 M. Capiat sexta quaque hora, cochl.
 iij — iv.

4. Tem-

4.

Tempore crisis, diaphoresis promovetur, viresque vitae conservantur, sequenti mixtura vel bolo.

℞. rad. serpentar. Virgin. cont.
cort. peruv. opt. ana ℥iij.

Coque in aqv. font. Libr. j ad dimidietat.
colat. adde,

Aqv. cinam. spirituof. ℥i℞.

Syr. caryoph. ℥ij.

M. capiat quarta vel sexta quaque hora
cochl. IV vel

℞. Rad. serpent. Virgin. ℥℞.
camphor. gran. X,
roob. samb. q. f.

Ut fiat bolus.

SUBSECTIO VII.

DE FEBRE PETECHIALI.

Theoria morbi.

§. 344.

Febres continuas, in quibus simul maculae erumpunt in cute externa, varii coloris, magnitudinis, figurae, et consistentiae, febres vocari exanthematicas, cuilibet est notum.

§. 345.

Qui adtente considerat ea, quae de febris benignae et malignae causis, iisque medendi methodo exposuimus; eaque sollicitè comparat cum iis, quae in febribus exanthematicis, ob-

servantur: facile intelligit, nullam fere intercedere differentiam, inter febres catarrhales et exanthematicas, quoad causas et modum sanandi, atque ideo exanthemata non esse de essentia morbi sed potius ejus existere accidens.

§. 346.

Plurimi medicorum, exanthemata, imprimis petechias et miliaria, ut salutaria naturae molimina, ad vindicandum aegrotum a morte, considerantes, ea omni cura promovere et expellere, officii sui esse arbitrantur. Quam male ii suis consulant aegrotis, quisque facile intelligit, qui fideli observatione edoctus perpendit, exanthemata perraro critica, sed frequentissime symptomata, horum vero plurima, factitia esse.

§. 347.

Exanthemata vero, in febribus praecipue malignis, corruptionis putredinosae humorum certissima signa esse, adeoque non critica, sed symptomata, facile, quisque intelligit, qui crebriori experientia virorum in arte medica versatissimorum, convictus, perpendit:

- 1.) Apparentibus in cute petechiis et miliaribus, symptomata morbi non mitescere sed saepe ingravescere.
- 2.) Crisin, ipsius morbi perfectam, jam facta eruptione exanthematum, fieri per alias vias excretorias, eandemque a retrocessione horum absolute non inpediri.
- 3.) Febris exacerbationem eo esse majorem, vires quoque vitae projectiores, et omnia symptomata graviora, quo copiosiora illa in cute efflorescunt.

§. 348.

Dari vero exanthemata benignioris indolis, quae crisin in febribus continuis juvant, experientia confirmatum habemus. Si namque eo in statu morbi accedunt exanthemata, in quo a natura materia morbi sufficienter cocta per vias excretorias evacuatur; haec facta in vasculis cutaneis metastasis, crisin certe juvabit. Quae vero in incremento morbi accedunt exanthemata ad crisin juvandam nil faciunt, sed mere symptomatica sunt, morbique gravitatem indicant.

§. 349.

Cum itaque exanthemata vix unquam in febribus malignis, salutifera esse ex dictis §. 346. 347. satis pateat: officii medici rationalis esse, exitimo, ut methodo medendi convenienti, eorundem genesin, praepediat, aut si id absque periculo fieri nequeat, saltem eorundem efflorescentiam parciolem reddere, omnem curam adhibeat.

§. 350.

Quamvis vero curatio exanthematum, ex iis, quae de febre benigna et maligna catarrhali proposuimus, facile peti possit: ne tamen juniores medici in persanandis iisdem haesitare queant, de nonnullis exanthematum generibus tam benignae quam malignae indolis, speciatim agere constituimus.

§. 351.

Est vero *febris petechialis*, febris continua maligna, ut plurimum epidemica, et contagiosa, cum varii coloris maculis, in summa cute apparentibus, juncta.

§. 352.

Signis fere iisdem, quibus catarrhalis maligna, sed periculosioribus se manifestare solet. — Mox ab initio summa virium exsolutione, aggreditur aegrum, ita, ut prae nimia debilitate, vix erectus, consistere possit, animoque deficiat. — Vigiliae assiduae; decubitus in lecto insolitus; pectoris obpressio; sitis vel ingens vel nulla; tendinum subsultus: lingua arida: motus febriles valde exigui, pulsusque debilis et inaequalis, pessimum ominantur eventum. — Quarto, quinto, interdum septimo die, in cutis superficie, maculae coloris, vel rosei, vel obscure rubicundi interdum atro purpurei, absque ardore, pruritu, elevatione et asperitate prodeunt, quae aegro nullum adferunt levamen, et saepe subito evanescent. Vocantur hae maculae, petechiae et vix non semper contagiosae sunt. Reliqua,

§. 353.

Praeter haec commemorata symptomata §. 352. plura adhuc eaque diversa solent comitari febrem petechialem, quae ex propria corporis constitutione facile dijudicari possunt. Alium enim effectum edit, miasma susceptum, quando corpus robustum, et sanguine denso glutinoso praeditum; alium quando corpus debile et laxum cum tenui et diluto sanguine; alium denique quando corpus humoribus acribus repletum, invadit. — Ex diversa hac corporum constitutione, diversitatem symptomatum, pendere, quisque facile intelligit.

§. 354.

Quemadmodum praeter signa, febris malignae propria; dorsi, lumborum, atque membrorum,
dolor

dolor molestus, febrem petechialem praenunciat, ita eruptio exanthematum, ejusdem praesentiam manifestat, quae, si excipias catarrhalem adfectum qui in febre petechiali stricte dicta, abest, a febre catarrhali maligna, parum differre observatur.

§. 355.

Praeter supra indicatas causas §. 305. ad hanc febrem, *disponunt*, habitus corporis laxus et spongiosus, animus meticulosus et anxius, vires corporis, vigiliis laboribus, luxuria, venere, exhaustae,

§. 356.

Occasionales causae similes quidem, observantur, iis, quas supra indicavimus §. 306. Saepe vero hic morbus communicatur contagio, dum miasma halituosum per contactum, frequentius per respirationem, sanguinis massae, commissum, simili modo, ut acrimonia, in sanguine, latente, et febre adcedente, agitata, corpora adficit.

§. 357.

Proxima tandem morbi causa, reperitur in putrida sanguinis et vitalium humorum dissolutione, quae a materia, quoad indolem, nobis quidem abscondita, quoad adfectus autem, summa agilitate, halitiosa, nervis infensa, praedita, observatur.

§. 358.

Prognosis, hujus febris, dubia quidem et fallax saepe manet, crebriori, interim experientia, confirmata, haec licet notare, nempe;

- 1.) Si viribus vitae, utcunque constantibus, sudores, foetidum odorem acidum spirantes,

per universam corporis superficiem, aequaliter, prorumpunt, vel similes diarrhoeae moderatae cum levamine succedunt, atque petechiae rubellae, non adeo copiosae apparent, aliqua spes superest reconvalescentiae. Salutaria quoque signa sunt: pulsus non adeo debilis et celer, vel saltem, vino, alioque quocumque cordiali remedio sumto, facile fortior redditus: lingua humida: surditas; urina turbida, diarrhoea biliosa et alia.

- 2.) Si alvi, dejectiones, circa febris incrementum, aut ejus declinationem, intolerabilem spargunt foetorem, simulque virides, lividae vel nigrae sunt, atque tormina ventris cum sanguine habent conjuncta; magnum imminet periculum; summum, vero quando illae, cujuscunque sint coloris, sine sensu profluunt.
- 3.) Pessimum quoque est symptoma, quando post diarrhoeas profusiores, abdomen manet durum, tensum et tumidum, hoc enim plerumque inflammationem atque destructionem intestinorum indicat.
- 4.) Maculae nigrae et lividae magnae, cum haemorrhagia profusiori, junctae, uti etiam parvae obscurae, castanei coloris, lentiginibus similes, magnum ostendunt periculum. Si his vero inducitur color floridior, vel etiam si his, circa undecimum aut decimum quartum diem, post sudores profusiores, disparentibus, exanthemata rubra, prurientia et dolentia succedunt: bonum est signum, salutare quoque habetur symptoma, quando eruptio scabiosa pruriens et ardens circa labia et nares apparet.

5) Qui

- 5). Qui occumbunt, ex sphacelosa viscerum corruptione et anginosa faucium, et oesophagi inflammatione, moriuntur. – Funestum hunc eventum praenunciant, febris valde exigua: petechiae copiosiores lividae, nigrae: lingua arida, scissa nigricans: inquietudines et anxietates, post exanthematum eruptionem, incrementum, delirium post diarrhoeam: aphtae coloris subrufi obscurioris, dysenteria cruenta, mox nigra, saniosa foetens.
- 6.) Certissima mortis instantis sunt signa: latae, nigrae et coeruleae striae, fugillationi similes, cum livore et frigore extremarum partium, versus febris finem accedentes, oculorum obscuratio, tendinum subsultus, excrementa involuntarie exeuntia.

Modus sanandi.

§. 359.

Ut tandem ad methodum, his febribus medendi, deveniamus, ea sedulo servanda esse putamus, quae in sectione praecedenti, fusius explicavimus. Inprimis vero, ii qui circa aegros hoc morbo decumbentes versantur, omnem adhibeant curam, ne simili per contagium adficiantur morbo.

§. 360.

Idcirco nunquam, ad lectum aegroti accedant, corpore, motu fortiori, agitato, aestuante et sudante sed in conclavi propinquiori, paulo quiescant, donec circulus humorum ad naturalem redierit statum.

§. 361.

Salivam crebrius exspuant, atque radice zedoariae et similibus, ejus profluxum, proritent. Os quoque saepe de die, aceto vel vino austriaco et rhenano eluant. Aërem conclavis, in quo versantur, conservent purum et vestimenta saepe mutant, aërique exponant liberiori.

§. 362.

Porro quoque officium medici esse putamus, ut statim a principio, morbi malignitatem praeveniatur, imminuatque. Hoc vero sequentibus his regulis practicis bene observatis fieri posse, facile patet, nempe: I. aëris usu et puri et moderate calentis, et crebro renovati. II. indumentorum cum corporis, tum lecti, munditiae. III. Lecti refectione quotidiana, eaque gemina potius, quam simplici. IV. Potu ac medicamentis, quae contemperent aestuosum. V. Observatione accurata, viarum quas indicat natura morborum, ut nempe expeditur, illae, quo per expeditas illas materiem morbi natura pellere de corpore possit. VI. Cauta evitacione eorum, quae augere humorum motum, modo quocumque, possint. His probe observatis, malignitatem multum imminui, iis vero neglectis plurimum augeri celeberrime HAEN satis prolixè demonstravit. Tom. XIII,

§. 363.

Praeter haec quoque medicus omnem operam adhibeat, ut animus aegroti sit tranquillus, nec meticulosus sed constans et intrepidus. Dietam inperet exactam et subacidam,

§. 364.

His omnibus ita dispositis §. 362 363. jam quaestio est an missio sanguinis in hac febre sit celebranda? Quamvis febres petechiales, in ipso eorum insetu, saepe subitanam debilitatem, imprimis, quando a contagio sint obortae, inducant, adeoque detractionem sanguinis, haud indicent: tamen in corporibus robustis et sanguine abundantibus, imprimis si pulsus celer, et tensus, aestus acrior, magna spirandi difficultas, cordis palpitatio, et capitis dorisque dolor vehemens, urgent, non negligendam esse putamus, sanguinis enim copia, sic diminuta, inflammationes in cerebro, pulmonibus, et aliis ad vitam necessariis partibus, avertuntur, attritus et aestus, qui acrimoniam augent, putrescentem humorum statum, juvant, et actioni materiae morbi, favent, simul moderantur, et vis ipsa contagii suscepti, infringitur. Qua vero copia sit detrahendus sanguis, is facile intelligit, qui febris, imprimis epidemice grassantis naturam et indolem cognoscit.

§. 365.

Observatio quoque docuit, vires vitae, in hoc adeo periculoso morbo, egregie fuisse conservatas, quando statim sub initium ejus biliosa, acris, et putrida colluvies in ventriculo et duodeno haerens, infuso radice ipacacuanhae expurgata fuit F. 2. Hoc genus evacuationis imprimis nausea et conatus vomendi indicant.

§. 366.

Si ex signis §. 317. biliosam atque putridam materiam, jam in intestinis profundius haerere, cognos-

cognoscitur, totus canalis intestinorum, remediis lenioribus laxantibus F. 6. 50. evacuari debet, ne per vasa absorbentia in sanguinem transeat, et morbi fomitem augeat.

§. 367.
 Quamquam cruda quoque in principiis acutorum, si turgeant et evacuationem moliantur, evacuanda esse supra §. 339. asseruerimus: hunc tamen modum evacuationis, summa adhibita cautela esse applicandum in febribus petechialibus facile quisque intelligit. Si enim indicia sint inflammationis incipientis, hujus vel illius visceris, aestusque sint plena omnia, signis licet apparentibus, quae evacuationem indicant, praestat omnino, ubi res alvi subductionem postulat, impuritates, ope tantum enematum, ex primis viis subducere, simul vero, quae ducere oportet potu copiose exhibito, ex decocto hordei cum melle et aceto solvere, et mobilia reddere. Experientia enim constitit, solis enematibus, ex lacte, saccharo et sale, paratis saepe excrementa primarum viarum, sponte sua, satis copiose, quotidie fuisse excreta.

§. 368.
 Evacuatis sic primis viis, praeter potum humectantem subacidum, copia magna, sed parvis haustibus, sumtum F. 40. 41. 42. 48. solemus dare simul remedia acida ex vegetabili et minerali regno desumpta F. 52. 53. 74. Haec universum corpus, penetrando, acre diluunt, et putredinis progressum avertunt.

§. 369.
 Si dolores atque anxietates simul urgent, praeter remedia modo memorata, quoque in usum
 vocan-

vocanda, cataphlasmata emollientia, epithemata calentia, et pediluvia tepida.

§. 370.

Hac simplici medicina §. 368. continuare solemus, usque ad tertium vel quartum morbi diem. Si tunc natura, materiam morbi, per cutis poros, eliminare intendit, ejus tunc quidem salutare conamen omni modo promovemus, dum diaphoretica quorum praecipuum est camphora cum acidis juncta, exhibemus. F. 75. 76-77. Eidem quoque scopo maxime inservit spiritus MINDERERI. F. 35. Prodest quoque hoc tempore, pedes et manus lavare aqua tepida cum aequali portione aceti remixta.

§. 371.

Si vero sub usu horum remediorum §. 370. pulsus fiat depressus, vires vitales deficient, simulque stupor accedat, et petechiae in cute appareant, scire tunc licet nullam per sudorem esse expectandam morbi solutionem, sed humores jam in putridam corruptionem vergere. — Statim tunc quidem ea in usum vocanda remedia, quae dicuntur cardiaca, stimulantia, et subadstringentia. Admirandam pro hoc scopo praestant utilitatem, vinum vetustum rubrum et rhenanum, cum decocto panis F. 62. vel sero lactis dilutum: cortex peruvianus sub varia forma exhibitus F. 78. 79. 80. mixtura salina F. 81. epispastica et rubefacientia plantis pedum applicata et alia. §. 343.

§. 372.

Notandum vero, remedia modo memorata cardiaca stimulantia §. 371. minus prodesse, quando

do in hoc morbi stadio, deliria, subsultus tendinum rubor et splendor oculorum et alia, phrenitidem praenunciant. Vesicatoria tunc quidem furis applicata majorem praestant utilitatem.

§. 373.

Febre decrescente, vitaeque viribus incrementibus, laxans rhabarbarinum aliquoties ad eluendam alvum, exhibere prodest, observato simul regimine supra descripto §. 169.

§. 374.

Praeter modo propositam medendi normam, omnis reliqua curatio a judicio medici pendet. Juvat enim in aliis methodus antiphlogistica, in aliis methodus diluens demulcens obvolvens, oleosa, in aliis tandem cardiaca. Dantur quoque malignitatis gradus, ubi omnes hi modi curandi deficient. — Medicus proinde in praescribendis remediis, ad naturam morbi, corporisque constitutionem attendat atque studiose indaget, quaeenam ex his methodis conveniat. — Simul vero eo respiciat, ut motus symptomatricos a criticis bene distinguat, priores subprimat, promoveatque posteriores.

Monita practica.

§. 375.

Praeter ea, quae, de varii generis, evacuantibus, supra fusius, fuerunt exposita §. 337. — 342. inprimis notandum; salium atque spiritum alcalino volatiliu, usum, moderno tempore, adeo frequentem, maxime esse periculosum, cum ea, putredinem humorum augeant, pravaque exan-

exanthemata producant. Non vero ea tunc esse negligenda, quando pulsus depresso, viresque vitae extinctae, stimulo indigent, putamus, imprimis si cum acidis juncta exhibeantur. — In corporibus quae fibris fortibus, sanguineque denso, sunt praedita nunquam sine periculo adhibentur.

§. 376.

Abstineant quoque medici prudentiores a remediis partim inertibus, partim quoque nocivis, quibus alii exanthemata expellere conantur, ut sunt mixtura sic dicta HOFFMANNIANA, quaevis remedia terrea, et bezoardica fixa, radices vincetoxici, contrayervae, et serpentariae virginianae.

§. 377.

Omni biduo vel triduo, alvus, enemate emolliente, solvenda, et si indicia adsint colluviei corruptae biliosae, cremore tartari, expurganda. Diarrhoea critica et salutaris, quae circa septimum vel decimum quartum diem, saepe accedere solet, si illam praeprimis comitatur sudor moderatus, vel calidus cutis maior, nunquam praemature supprimenda, quae vero in ipso principio tenuis serosa et profusa accedit, regimine et remediis convenientibus moderanda. — Quae diarrhoea vel dysenteria adeo profusa est, ut vitae minetur periculum, adstringentibus, alexipharmacis tractanda. — Huic consilio maxime inferviunt, diascordium FRACASTORII F. 58. vinum rubrum cum cinamomo, coctum, cortex peruvianus F. 59. et si casus valde urget, clysmata adstringentia ex decocto florum rosarum rubrarum, terrae japonicae vel corticis chinae, cum dia-

scordio FRACASTORII vel theriaca ANDROMACHI, mixto.

§. 378.

Vomitoria, praesente jam febre, data, inflammationes aliaque multa mala producant. Infusum florum chamomillae, eo in casu, ubi vomitus a natura excitati sint juvandi, tuto exhiberi potest. — Methodus sciendi vomitum, immensa aquae calidae quantitate hausta, non comprobanda. Fieri enim saepe solet, ut ventriculus sic nimium distentus, adeo reddatur inbecillus, ut contenta rejicere non valeat. Si itaque vomitus post unam aut duas aquae mensuras haustas non sequitur, excitare tunc expedit evacuationem, digito, aut penna, profundius in oesophagum intrusis. — Vomitus nimius sedatur, linimento, ex theriaca veneta, oleo nucis mosch. expresso, camphora, oleo caryophyllorum et balsamo de Peru, parato, et ventriculo, infricto. Dari quoque potest interne mixtura F. 82.

§. 379.

Vesicatoria male applicantur, in morbi principio, ubi irritatio et impulsus sint nimii, quia dissolutionem atque putredinem sanguinis, augent. Quando vero solida torpent, circulatio languescit, spiritus effoeti sunt et simul comate corripitur aegrotus, utilitatem eximiam praestare observantur.

§. 380.

Camphora, magno cum successu, adhibetur, eo tempore, quando vesicatoria ad torpidos excitandos motus, fuerunt applicata. Non solum enim sulphure suo volatili vegetabili, acrimo-
niam

niam cantharidum, obvolvitur et corrigit, sed etiam transpirationem egregie promovet, somnumque placidum inducit. — Cum porro, remediis acidis atque leniter adstringentibus, quae ad avertendum putredinis progressum, tonumque vasorum conservandum, in hac febre exhibentur, simul pori cutanei occludantur, maxime tunc quidem proderit, hoc tempore usum camphorae interpolare, ut vasa cutanea aperiuntur, et transpiratio promoveatur.

§. 381.

Cortex peruvianus in principio harum febrium, ut apud nos invaluit mos, exhibitus, vix salutarem praestat effectum, imo potius nocet, quia sub initium morbi, solida ut plurimum sunt tensa, atque humores condensati. In progressu vero morbi, ubi vera dissolutio humorum, solidorumque debilitas, adsint, maximam praestat utilitatem, si cum acidis junctus, exhibetur.

§. 382.

Opiata in hac febre, vix non semper, periculosa sunt. Si ea non sequitur sudor, deliria saepe accedunt. — Profunt interdum cum camphora, remixta, ad promovendos sudores criticos. — Si accedente diarrhoea, pulsus depressus fieri incipit, moderata dosi, aliis remediis §. 377. mixta, utilitatem afferunt.

§. 383.

Si morbo decrescente, *parotides* suppurare incipiunt, absque mora tumor lanceola aperiendus, nec expectandum donec mollescere incipiat.

§. 384.

Morbo declinante, inprimis exactum sex rerum non naturalium regimen observetur §. 169. sola refrigeratione, et ingluvie, aegros, morbo jam superato, in cachexiam tumores pedum et abdominis fuisse coniectos, experientia testatur. Vinum vetustum rhenanum optimum tunc cardiacum ad corroborandum systema nervorum.

§. 385.

Tandem in sanandis his febribus, medici juniores, hanc sibi commendatam habeant regulam, ut nunquam indicationes suas ad expellenda exanthemata, dirigant, sed omnem methodum medendi, naturae et causis morbi, accommodent, si vel ipsa exanthemata jam appareant in cute, sic enim malignitatem maxime diminui, quotidiana confirmat experientia.

§. 386.

Inter *remedia expertae virtutis*, ab artis medicae scriptoribus sequentia inprimis referuntur:

1.

℞. Aqua flor. samb.
card. bened. ana ℥i.
Tartar. emetic. gran. ij.
Mixt. simplic. gutt. xx.
M. D.

Haec mixtura, in principio febris malignae petechialis, sumta, eam saepe feliciter profligat.

2.

℞. Camph. ℥i. cum pauc. spirit. vin. solut.
sacch. puriss. ℥℔.
Acet. calefact. ℥j. sensim adfund. D.

3. ℞.

3.

R̄. Cort. peruv. opt. pulv. ℥ij.
 flaved. aur. hispan. ℥i℥.
 rad. serpent. Virg. ℥iij.
 croc. anglic. ℥iv.
 coccinell. ℥ii.
 spirit. vin. Gallic. ℥xxx.

F. Infus. claus. per tres vel quatuor dies, dein colat. D. S. a drachm. j ad unc. semiss. quarta l. sexta hora, cum decem, quindecim aut viginti guttulis elix. vitrioli, in vino dilut. exhibendum. *Uſus:* Solida roborat, sanguinis corruptionem avertit, ejus crasin restituit.

4.

R̄. Cort. peruv. opt. ℥iij.
 Coque cum libr. j. aquae ad dimidietatem, sub finem adde.
 rad. serpent. Virg. ℥ii.
 ſtet in digeſtione per horam.
 Colat. adde.
 Aqv. alexiter. ſpirit. c. acet. ℥ij.
 ſacch. alb. ℥℥.

M. D. S. Quatuor cochl. omni sexta hora in ſumma debilitate. —

SUBSECTIO VIII.

DE FEBRE PURPURATA RUBRA ET ALBA MILIARI

Theoria morbi.

§. 387.

Febriſ purpurata, in genere vocatur, febris continua, cui junguntur exanthemata, figur. m et magnitudinem milii feminis referentia.

§. 388.

Quae hanc febrem, comitari solent exanthemata purpuracea, diversae faciei a medicis observantur. Alia enim nodulos parvos rubros, post unum vel alterum diem in flavas vesiculas, resolutas, sistunt; alia vero statim sub forma vesicularum ex flavo albicantium et saepe transparentium apparent. Illa vocantur purpura *rubra* haec, *alba* vesicularis.

§. 389.

Indoles atque natura, horum exanthematum ex febre, quae ipsis jungitur, determinatur. — Si namque haec exanthemata sub febre catarrhali benigna efflorescunt, purpura vocatur *benigna*: Si vero febre maligna comitantur, *maligna purpura* dicitur.

§. 390.

Iisdem fere notis se prodit, haec febris, quam benigna et maligna catarrhalis. — Statim sub initium morbi, conqueruntur aegroti, de horripilatione, aestuque volatili intercurfante, de tensione molesta intra cutem, sensuque pressionis in dorso. Mox succedunt praecordiorum anxietates, pectorisque stricturae. Pulsus hoc tempore est durus contractus, celer et saepe debilis; urina vero cruda et pallida.

§. 391.

Quarto ut plurimum morbi die, aliquando serius, primum in pectore, postea in aliis corporis partibus, excepta plerumque facie, efflorescunt pustulae minores sive rubrae sive albae, milii seminis figuram referentes. — Saepe tunc quidem symptomata morbi mitigantur, pulsusque aliquo

aliquo modo mollior atque remissior apparet; saepe vero facta eruptione idem manet morbus, imo quandoque increfcit, prout perfecta vel imperfecta per alias vias praecefferit critica evacuatio. Vesiculae ichore foetido replentur, sudor quoque singularis foetoris prodit, et urina cocta, mingitur. — Persistunt haec exanthemata, facta jam crisi, per plures adhuc dies, et tandem exsiccata decidunt.

§. 392.

Proxima causa febris purpuratae, constituitur singularis laticis inprimis seroso, lymphatici acrimonia. In quonam haec proprie consistat acrimonia, accurate, quidem determinare non possumus. Cum vero miliaria et petechiae eodem tempore saepe obsideant corpus: utriusque generis haec exanthemata, ex conditione humorum non adeo diversa, oriri, statuere haud dubitamus.

§. 393.

Ad causas praedisponentes, inprimis, referri possunt, sanguis copia et impuritate peccans, alvi segnities, excretionum naturalium praesertim haemorrhoidum, et menstruorum suppressio, et laxior corporis habitus.

§. 394.

Occasionales vero causae praecipuae sunt: victus lautus, acris, aromaticus et glutinosus: potus calidus inprimis vinosus: remediorum quoque calefacientium abusus; aër conclavis, nimis calidus et impurus: animi adfectus vehementiores et in genere omnia quae cutim relaxare, eamque disponere valent, ut omnis acrimonia motu febrili ad eam deponi possit.

§. 395.

Quoad exitum morbi in genere notandum, purpuram albam ut plurimum esse periculosiorem, rubra, maxime vero epidemicam; in utraque omnia bona esse speranda. Si viribus vitae utcunque constantibus, se et excretiones, urinae sudoris, et alvi, moderate et legitime succedunt.

§. 396.

Inter suspecta signa recensentur: nimis cita exanthematum eruptio, secundo nempe vel tertio morbi die, eorundemque in pectore parciore efflorescentia quam in reliquis corporis partibus. Sudores fulius statim sub initium manantes: urinae pallidae tenues aquosae copiosae redditae, cum continuo ad mingendum stimulo: pulsus post exanthemata expulsa, durus et auctus: inquietudo et spiritus difficilis: alvus cum torminibus nimis fluxa. Nil boni quoque sperandum, si purpura corripit, corpora nervis sensibilibus instructa, debilia impura. Si pustulae modo apparent, modo evanescent et symptomata, eadem vehementia continuant. Si retropulsae sub aucta pectoris op-pletionione, viriumque debilitate partibus interioribus firmiter inhaerescunt, neque ad corticem revertunt, vel per alias vias excretorias exterminantur.

§. 397.

Lethalia denique signa sunt: si aestum praecordiorum summamque anxietatem, excipit internus frigoris sensus, cum debili, parvo, inaequali, pulsu: si interiora ardent, exteriora frigent et rigent, cum sudore copioso frigido: si porro in abdomine frigus, in extremitatibus aestus percipitur;

cipitur; si denique deliria, convulsio, vox faucibus haerens, apthae et linguae tremor, accedunt.

Modus Sanandi.

§. 398.

In curatione utriusque purpurae, ea omnia sunt observanda, quae supra de febre catarrhali benigna, et maligna, fusius exposuimus. In genere vero omni studio allaborandum, ut materia peccans ita diluatur, et corrigatur, quo per confecta corporis colatoria, commode expelli possit.

§. 399.

Omnium primo itaque, medicus exactum vitae genus supra descriptum §. 166. 167. 168. praescribat. Inprimis vero summam adhibeat curam, ut aer cubiculi, in quo decumbit aeger, sit purus, saepe renovatus, frigidiusculus, aeger quoque evitet nimium stragulorum calorem, et ex altera parte refrigerium.

§. 400.

In principio morbi, si adsunt plethorae signa, mittatur sanguis, inprimis si excretiones naturales suppressae, huic morbo dederint occasionem.

§. 401.

Ne porro colluvies viscida, acris, in ventriculo et intestinis, haerens, ad secundas transeat vias, atque ita dyscrasiam humorum augeat, febremque incendat majorem, statim, primis morbi diebus, lenissimo vomitorio F. 2. vel laxante rhabarbarino F. 2. 4. 6. in progressu morbi vero enematis emollientibus, evacuanda.

§. 402.

Reliqua omnis curatio eo redit, ut ante eruptionem exanthematum, corpus, larga, diluentis aperientis et subacidi liquidi copia, inpleatur, febrisque simul ita moderetur, ut materies morbi sic quidem satis diluta, per vias excretorias placide elui possit.

§. 403.

Omni trihorio proinde, die nocteque, duo cochlearia mixturae F. 52. 83. exhibeantur, et omni hora vasculum decocti cujusdam diluentis subacidi F. 40. 41. 42. 51. 84. tepide bibatur. His enim febris inpetum egregie moderari, atque genesin purpurae saepe praepediri, vel saltem parvissimam reddi, experientia confirmat.

§. 404.

Quamprimum cutis madida fieri incipit, et exanthemata hinc inde in cute apparent, loco mixturae F. 52. omni trihorio mixtura F. 53. exhiberi atque simul potus diluens acidulus continuari potest.

§. 405.

Simplicissima hac methodo medendi, purpuram benignam, citra ullum negotium feliciter, curari posse, experientia edocti, novimus. Si vero his utcunque adhibitis remediis §. 403. 404. eruptio materiae, in tenuissimis, cutis, vasculis, jam haerentis, eaque inflammantis, justo inpeditor, observatur: omni studio laborandum, ut ista quantocyus coquatur, atque per vasculorum extrema disrupta et erosa expellatur. Quemadmodum enim ex una parte, medici officium postulat,

stulat, ut genesin exanthematum omni modo praecaveat, aut saltem parcissimam eorundem efflorescentiam reddat, ita ex altera parte, retrocessionem omni studio avertere tenetur.

§. 406.

Si nimia rigiditas, vasculorum cutaneorum, justo inpeditionis eruptionis, purpurae, est causa, subusu continuato remediorum §. 403. 404. solemus superficiem pectoris, panno laneo, moderate fricare, postea vero, spongia, vino calido inbuta, et expressa; probe eam lavare, et potus tepidos exhibere. F. 44. 45. Prodest quoque manus et pedes in tepidam demergere.

§. 407.

Si vero, cute externa satis flexili et laxa existente, eruptionis inpeditae causa a defectu virium vitalium pendere observatur; praeter frictiones siccas, ea tunc in usum vocanda remedia, quae vires vitae depressas moderate excitare valent.

§. 408.

In hunc finem saepe exhibeatur infusum calidum herbae Theae, vel aliud quodcunque infusum herbaceum, cujus singulo vasculo, cochleare vini rhenani admisceatur. Inprimis vero, omni bihorio vel trihorio, remedia cardiaca supra indicata §. 75. — 80. in usum vocentur.

§. 409.

Haec omnia, quamvis prudenti ratione fuerint adhibita, fieri tamen solet, ut saepe materia jam in extrema cute haerens, subito dispareat, atque ad interiora corporis vertatur. —

Hanc

Hanc purpuræ subitam retrocessionem, frequentissime sequuntur, anxietates praecordiorum, sopores, deliria. Praeter remedia modo indicata §. 407. 408. statim vesicatoria satis ampla suris sunt applicanda.

§. 410.

Quamprimum purpura exsiccat, atque omnia reliqua symptomata, mitescunt sub finem morbi, alvum lenissimis laxantibus rhabarbarinis, ducere convenit. Docuit enim experientia, hoc genere evacuationis neglecto, impuritates in primis viis relictas, saepe purpuræ scorbuticae dedisse occasionem.

Symptomatum mitigatio.

§. 411.

Tussis molesta, qua saepe divexantur aegroti, sub initium morbi, levatur, decocto ex emollientibus cum oxymelle scillitico, remixto F. 44. 85. si strepens est tussis, pulvere F. 86. egregie mitigatur, inprimis si simul decocta emollientia copiose hauriantur.

§. 412.

Quemadmodum, *sopores deliria et convulsiones*, vesicantium et rubefacientium usum indicant, ita quoque camphora, sufficienti dosi, exhibita irritatis nervis quietem conciliando, his symptomatibus optime medetur, viresque vitae erigit.

§. 413.

Siccitas linguae, aceto et melle optime mitigatur. Quibus *noctes insomnes* et inquietae sint, syrampus diacodii ad unciam dimidiam vel integram,
vel

vel laudanum SYDENHAMI ad guttas decem vel duodecim datum, infervit.

§. 414.

Qui citra manifestas mutationes, in summam incidunt debilitatem, atque simul pulsum habent mollissimum, et sudores continuos debilitantes, iis mixtura antiseptica F. 54. saepe adtulit salutem.

§. 415.

Sudores nocturni, morbo declinante, supervenientes, diæta refrigerante, et infuso F. 87. sanantur. Sub initium morbi, moderantur quoque regimine frigidiusculo, remediis subacidis diluentibus, et mora extra lectum, corpore bene tecto.

§. 416.

Auditus gravitas, morbo superato, saepe superveniens, tollitur, vesicatoriis nuchæ appositis, atque remediis purgantibus. — *Pedum tumores* vero frictione sicca diu continuata, et roborantibus.

§. 417.

Purpura confluens tam copiose saepe cutim externam, inprimis pectus, occupat, ut materia purpuracea, versus eadem vasa cutanea pulsa, exire non possit. In hoc morbi statu, ea omnia sunt vitanda, quæ ullo modo circulum humorum augere et versus cutim dirigere valent. Nos, præmillis frictionibus, cum panno asperiori vel pectine setaceo molliori, factis, osculisque sic apertis vasorum cutaneorum, consultius ducimus, cremorem tartari in aqua subfrigida solutum magna copia exhibere, et simul cataplasmata emollientia atque epithemata similia, regioni re-

num

num applicare. Sic enim, haustis simul infusis diluentibus calidis, secundam, et tertiam purpuræ eruptionem facile prodiisse, experti loquimur.

§. 418.

Salivæ excretio, gargarismatibus emollientibus, atque etiam essentia pimpinellæ in saccharo sumta, promovetur. Justo copiosior moderatur solutione alvi per enemata emollientia. Si impeditiore est, diuresis, remediis acidis promovenda. Quoad *diarrhoeam* ea sunt observanda quæ supra §. 329. 342. indicavimus.

Monita practica.

§. 419.

Cum aër cubiculi, in quo decumbit aeger, non renovatus, tam calore, quam putridis, quibus inpraegnatur exhalationibus, valde perniciosus esse observetur, atque miliaria alba et rubra exanthemata, sæpissime producat, quæ nunquam morbo primario supervenissent: omni studio sibi caveant medici juniores, ne in morbis acutis sub lecti stragulis suos quasi sepe-liant aegrotos, eosque calore cubiculi angant et ideo morbi miliaris veri artifices et fabri fiant.

§. 420.

Ut hæc præcaveantur mala, omnia ea sunt observanda quæ supra, de moderamine aëris §. 165. 166. diximus. His enim probe observatis, aegros mirifice refici, et exanthematum genesin præpediri, experientia confirmat.

§. 421.

Aeque perniciosus est aer, debito frigidior, imprimis, qui per fenestras et januas, sibi oppositas, transiens, corpus, aegroti, sudore madidum,
aliqua

aliqua in plaga ejus, adficit. Ob easdem rationes, indusiorum et pulvinarium mutatio improvida perniciofa est.

§. 422.

Qui corporis extrema, frigida lavare, audent, eum potiffimum in finem, ut cor, ab humoribus a superficie, interiora verfus repente pulsus, ad celeriores et auctiores contractiones, ftimularetur, atque ideo ad purpuram latentem facilius expellendam, incitaretur: rem incertam imo periculofam, agere nobis videntur. Sanitatem enim non pendere ab exanthematum eruptione, ex ante dictis fatis patet. Ne dicam, hac methodo fanandi facile ftases inflammatorias in aliis visceribus nobilioribus oriri poffe.

§. 423.

Aeque incertam rem agere videntur, illi, qui in jufto inpeditioni eruptione purpurae materiam morbi, per repetita laxantia, educere fuadent. Diarrhoeas, debito tempore a natura cum levamine fymptomatum, excitatas, faepe profuiffe in febre purpurata experientia quidem confirmat: an vero folutio alvi, arte excitata, aeque fecure moliri poffit, dubius haereo.

§. 424.

Purpuram epidemicam, folis enematibus, ex aqua et butyro infulfo, paratis, atque decocto, ex menfura aquae cum quarta parte vini, fucco citri et unciis fex facchari albi, parato, feliciter fuiffe fanatam legitur in COMMERCIO LITTER. NORIMB. Anno 1735.

§. 425.

Purpura puerperarum, ratione fymptomatum, caufarum et curandi methodi, ab illa quam modo,

do, descripsimus parum quidem differt. Ut tamen juniores medici regulas modo propositas, sanandi purpuram, ad statum puerperarum applicari discant, sequentia adhuc notanda nobis esse videntur:

- 1.) Praeter causas supra indicatas §. 392. 393. 394. purpurae puerperarum genesi occasionem dant, ante partum, tempore graviditatis: victus lautus et qui paratur ex farinaceis glutinosis, cum ovis et butyro, abusus potus calidi inprimis fabarum Coffe. Post partum: secundinarum retentio, lochiorum justo parcius fluxus, alvus adstricta, lactis repressio, abusus ciborum nutrientium et potuum spirituosorum.
- 2.) Si purpura rubra, in puerperis, quinto vel septimo, interdum nono die erumpit, sub symptomatibus mitioribus, atque excretionibus, omnis generis naturales bene succedunt, spes salutis haberi potest. Si vero alba, quarto post partum die accedit, cum delirio, aestu magno, aliisque gravioribus symptomatibus, inprimis si copiosi praecedunt sudores, urina pallida et cum stranguria, mingitur, lochia retinentur etc. ut plurimum funesta est.
- 3.) Ut in puerperis, haec febris purpuracea, praecaveri possit:
 - a.) Tempore graviditatis, in plethoricis bis vel ter mittatur sanguis, quarto vel septimo mense, ex brachio, circa finem noni, vero ex pede.
 - b.) Alvus per omne graviditatis tempus servetur aperta, diaeta lubricante, rhabarba-

barbarinis, passulatis, mannatis, enematis.

- c.) Transpiratio, motu corporis sufficienti, potuque tenui omni modo promoveatur.
- d.) Vitentur omnia dulcia, acida, atque ex glutinosis farinaceis, cum ovis et butyro parata fercula, uti etiam potus calidi abusus. Pro potu ordinario, praesertim, ultimis mensibus, si acrimonia in iis abundat, utantur tisana ex rasura cornu cervi, radicibus scarzonerae, graminis et similibus.
- e.) Ventriculus, in coena praesertim, nunquam oneretur cibis: somnus longior arceatur et animus servetur tranquillus.
- f.) Post partum, sedato sanguinis orgasmo, pulsuque a vehementia sua remittente, secundo post partum die, ad secundanda lochia, infusum melisse vel chamomillae, et una aut altera dosis pillularum balsamicarum exhibeantur. Si febris accedit, nitrofa et acida in usum vocanda, et regimen subfrigidum imperandum.
- g.) Si purpura in cute apparet atque fluxus lochiorum deficit, mox vena post pediluvium in pede solvenda, alvus enemate ducenda, omniaque ea observanda, quae in curatione purpurae acutae prodesse, docuimus.

§. 426.

Est adhuc species purpurae, quae vocatur scorbutica. Cum haec sine febris evidenti, et ut plurimum chronica sit, de ea hic loci agere, ratio instituti non postulat. Ex iis quae in capite de cacochymia, indicabimus, satis patebit, hanc

speciem purpurae, sanari, scarrificationibus cutis, evacuationibus alvi, decoctis et tisanis ex radicibus demulcentibus usu aquarum mineralium debito tempore, instituto, et balneis frigidis ad cutem corroborandam, post morbum superatum, diu adhibitis. Haec sub diaeta exquisita et regimine subfrigido, diu continuata, omne punctum, curationis absolvunt.

SUBSECTIO IX.

DE FEBRE ERYSIPELATOSA.

Theoria morbi.

§. 427.

Febbris erysipelacea est febris continua, tumori cutis inflammatorio, aequali fere sine altitudine lato, ex albo et livido splendenti et subrubicundo, juncta.

§. 428.

Occupat erysipelas, praecipue, pedes, crura, caput et faciem, interdum mammas, glandulasque subaxillares. — Tres ejus a medicae artis scriptoribus notantur species. — Prior non solum cutis externae sed etiam suppositae cellulosae tunicae et carnis inflammatione se prodit et *erysipelas phlegmonodes* vocatur. Altera, quae majori partis adfectae inflatione et mollitie, rubore vero et febre minori, se manifestat, et digito pressa, foveam relinquit, dicitur, *erysipelas oedematosa*. — Tertia denique, ubi tumor majorem habet duritiem *erysipelas scirrholes* nuncupatur.

§. 429.

§. 429.

Accedit erysipelas, ut plurimum, cum horrore. Hunc statim excipit aestus, plus, minus insignis, capitis dolor, sitis, et alia symptomata febrilia. Tertio ut plurimum die, cutis partis adfectae incipit rubere, dolere, inflari. — Tumor digito pressus fit albus, saepeque ex loco, quem prius occupaverat, transit in id quod integrum est. Non raro quoque vesiculae copiosae aquaeae exsurgunt in superficie. — Hac facta depositione materiae morbi ad ambitum corporis, symptomata febrilia remittunt, cutis detumescit et decidit, morbusque sudore et urina, ex qua multa crassa decidunt, solvitur.

§. 430.

Proxima morbi causa consistit in obstructione minimarum fistularum cutanearum, per quas in statu naturali, halitus atque sudor effertur, a stasi sanguinis vel serosi laticis acrioris excitata. Ab hac stasi oritur, tumor, rubor, febris.

§. 431.

Causae occasionales imprimis habentur: animi adfectus graviores, praecipue ira et terror, aër nimis calidus, intenior solis ardor, immoderata corporis exercitatio, potus exaestuans, crebra ebrietas, evacuationes sanguineae omissae, et omne quod expirationem in cute coercescit, ut inunctio cum oleosis, quibus pori obstruuntur cutanei.

§. 432.

Si erysipelas, sine magna inflammatione, in corpore ceteroquin sano, prorumpit in partibus ignobilioribus, minus habet periculum, atque

congruis remediis post unum vel alterum diem, disparet.

§. 433.

Si vero accedit cum multa febre, atque in phlegmonem transit, si pars, quam occupat est sensus exquisitioris, atque color ruber mutatur in lividum et subnigrum, vel si suppuratio et ulcera mali moris sequuntur, periculosa est, et aegrotum ut plurimum septimo morbi die occidit.

Modus sanandi.

§. 434.

Ratio medendi potissimum in eo consistit, ut febris, ad justum moderamen reducatur, materia peccans corrigatur, et ad exitum disponatur, humor vero acris in fistulis cutaneis haerens discutiat.

§. 435.

Si itaque erysipelas, sine magna inflammatione est, motusque febriles legitime accedunt: alvus tunc lotionem emollientem, solvenda, dein vero, omni trihorio, unciae duae aut tres mixturae F. 39. exhibendae, et simul copiosae sorbitiones tepidae ex infuso herbarum scordii, florum sambuci et seminis foeniculi, bibendae. Externe locus adfectus pulvere F. 88. inspergendus et linteis calidis involvendus.

§. 436.

Si vero valentior est febris, atque inflammatio profundior, statim a principio sanguis mittendus et alvus laxante antiphlogistico F. 6. 10. vel tutius enemate ducenda. Postea vero, quae aestum minuunt medicamenta, quaeque humores

res stagnantes resolvunt et diluunt, exhibenda. Ex his praecipua sunt quae a nobis supra fuerunt laudata F. 40. 41. 42. 51. Haec sub regimine antiphlogistico, sufficienti copia hausta, ut plurimum febrem minuunt, morbumque solvunt. Mitiori sic reddita febre, alvus potionibus antiphlogisticis F. 6. 50. aliquoties solvenda.

§. 437.

Quoad externa in statu descripto §. 436. panni lanei *flanell* dicti, saturato florum sambuci decocto, inbuti et calide applicati insignem usum praestare solent. Applicari quoque potest pulvis supra descriptus F. 39. cum scrupulo vel drachma camphorae, remixtus.

§. 438.

Si post adhibita remedia interna §. 436. febris a sua vehementia non remittit, fortiora tunc quidem acida in usum vocanda F. 52 atque infusa et decocta supra descripta F. 40. 41. sedulo continuanda.

§. 439.

Quando cutis madida fieri observatur, salutare hoc naturae negotium, infuso florum sambuci, omni modo promovendum, cui quidem consilio quoque inservit mixtura F. 53. aliquoties de die exhibita.

§. 440.

Si erysipelas inflammatoria, caput occupat, praeter remedia dicta, maxime profunt, pediluvia ex aqua tepida, sinapismi, plantis pedum applicandi, vesicatoria, laxantia, et si opus, venaesectio repetita. His prudenter adhibitis

perfaepe eryfipelas ex capite in pedes tranfiiffe, novimus.

§. 441.

Alia methodo, procedendum, quando tumor frigidus oedematofus, fine febre eft. Tunc enim refolventia calidiora interna exhibenda F. 89. atque purgantia fortiora. F. 8. — II. fimul vero pulvis MYNSICHTI contra Eryfipelas, terrae bolares, et adftringentia ex plumbo, parata, tuto adhiberi poffunt, F. 90.

§. 442.

Si ex errore, in fanatione, commiffo, tumor fcirrhofus eft, factus praeter farinas, plantarum, cum vel fine camphora, emplafta emollientia et refolventia, continuari poffunt.

§. 443.

Saepe, eryfipelas vertitur in fuppurationem. Abfceffus tunc quidem factus, aperiendus, eaque omnia funt obfervanda, quae in curatione ulcerum praefcribuntur. In gangraena et fphacelo, praeter fomenta F. 91. interna, antiputrida, inprimis cortex peruvianus, prodeft.

Monita practica.

§. 444.

Qui faepe, hoc morbo, divexantur, exactiffima utantur diaeta. Omni modo, proinde abftineant, a lacticiniis, pinguibus, glutinofis, farinaceis non fermentatis, carnibus infumatis, aromatibus et vinis meracioribus. Utantur potius cerealibus, et fructibus horraeis, iisque omnibus, quae regnum dat vegetabile. Potus

fit

fit aqua cum vino albo remixta. Saepe dosin tartari albi, in jusculo sumant, et tempore vernali, per aliquot menses aquis mineralibus et fero lactis utantur.

§. 445.

Missio sanguinis, eo tantum in casu, ubi febris valentior, majorque inflammatio urgeant, necessaria est. Non vero sanguinem, nimia copia, sed repetitis vicibus detrahendam esse experientia suadet. — Si erysipelaceo tumore disparente, cerebrum, collum, et pectus oppleri, advertimus, absque mora, vena pertundenda, vesicatoria applicanda, et rubefacientia plantis pedum apponenda; pediluvia simul in usum vocanda, et decoctum florum sambuci cum nitro copiose hauriendum. Clysmata quoque et laxantia acriora non omittenda.

§. 446.

Si erysipelas, cum febre vehementiori, in corporibus ceteroquin sanis, accedit, mox larga venaefectio instituenda, eaque repetenda, infusa laxantia ex manna foliis fennae et salae mirabili GLAUBERI, exhibenda, et nitrum purum ad quinque vel sex drachmas, quotidie, in decocto hordei vel avenae, solutum, propinandum. Haec brevissima methodus, his febribus medendi.

§. 447.

Quae applicantur remedia externa, non sint nimis calida, nec nimis frigida. Nocent quoque omnia humida, pingvia et spirituosissima, illa ulcera, haec indurationes relinquunt. — Inflatio oedematosa, extremitatum, curatur, constrictione.

§. 448.

Inter remedia contra erysipelas autores referunt sequentia:

I.

R̄. Succ. plantagin.
 folan.
 semp. viv. ana ℥vi.
 Aqv. rosar. ℥iij.

M. D. S. Mit leinenen Tüchern umzuschlagen.
 FORESIUS.

2.

R̄. Farin. commun. ℥i.
 Myrrh.
 ceruff. ana ℥ß.
 camphor. gran. v.
 M. F. pulv. D.

3.

R̄. Alum. ust.
 sacch. cand. ana ℥i.
 spermat. cet.
 cer. flav. ana ℥iß.
 ol. amygd. d. ℥ß.
 M. F. Ungvent.

4.

R̄. Spirit. Vin. ℥ß.
 theriac. Androm. ℥ii.
 pulv. piper. long.
 caryoph. ana ℥ij.

M. D. S. Charta emporetica hac mixtura madefacta, parti circumvolvatur. ALLEN.

SUB.

S V B S E C T I O X.

D E

RELIQUIS FEBRIBUS EXANTHEMATI-
CIS, INPRIMIS, URTICATA SCARLA-
TINA ET RUBEOLA.

Theoria morbi.

§. 449.

Haec genera exanthematum, cum, nisi per ac-
cidens fiant maligna, ut plurimum, sub spe-
cie catharrhalis benignae accedant, atque ratio-
ne caufarum, medendique methodi, parum dif-
ferant; pauca de iis hic promonere habemus.

§. 450.

Febris urticata est febris continua benigna,
cum maculis latis, ex pallido, rosei coloris, qui-
bus pustulae albidiores, vesiculae, insident,
similem in modum ac si cutis urticae puncturis,
laesa fuisset, quaeque pruritus insignem efficiunt.

§. 451.

Scarlatina febris dicitur, quae adcedit maculis
latioribus non elevatis, in tota fere corporis su-
perficie, intensissimo rubore, calore, conspicuis
et fere confluentibus.

§. 452.

Rubeolae sunt maculae, parvae rubrae, va-
riae latitudinis, quae universam saepe obsident
cutim, et a morbillis parum differunt.

§. 453.

Causa proxima harum febrium exanthemati-
carum, consistere videtur, in stasi feri, plus,
K 5 minus

minus acris, quod vasa cutanea, vellicando et stringendo inflammat.

§. 454.

Ad easdem disponit, omne id, quod sanguinem impurum et acrem reddere valet. *Occasionem* vero dant, omnes conditiones, quae humores acriores, exagitare et ad superficiem corporis pellere possunt, ut sunt motus corporis vehementior, ardor, sive aestus magnus in frigus mutatus, ebrietas, alia.

§. 455.

Quoad prognosin notandum, haec exanthematum genera, in corporibus junioribus puris humoribus instructis, feliciter, et breviter, decurrere; in senioribus vero, qui acres habent humores, diuturniora esse et saepe in purpuram malignam mutari. — Experientia quoque conpertum habemus, perspiratione, durante morbo, suppressa, saepe oriri, deliria, asthma, tussim siccam et anginam, cum funesto eventu.

§. 456.

Indicatio curatoria exigit, ut acrimonia ferrosi laticis, involvatur, diluatur, et per vias naturales excretorias, imprimis per cuticularem perspirationem eliminetur. Idcirco in sanandis his febribus, eodem modo procedendum ut in capite de febre catarrhali benigna, cujus indolem sequi solent, fusius docuerimus. Si malignitas his febribus accedit, curatio ex capite de febre catarrhali maligna et petechiali, petenda.

SUBSECTIO XI.

DE VARIOLIS.

Theoria morbi.

§. 457.

Ea febris continua, cui adcedunt exanthemata, ab initio parva, et acuminata, in progressu morbi vero elevata et suppurantia, vocatur *febris variolosa*.

§. 458.

Aliae harum pustularum, sparsim in cute corporis externa observantur, aliae vero omnem ferme superficiem, vel totius corporis, vel partis alicujus v. c. faciei, occupant. Illae dicuntur, *discretae*, hae *confluentes*.

§. 459.

Dividuntur quoque ab autoribus, in *veras* et *spurias*. Verae vocantur, quae continent pus, quaeque pure emisso, cuticulam desquamant, et foveas in cute relinquunt. De his proprie nobis erit sermo.

§. 460.

Spuriae variolae, si duriores et acuminatae sunt, dicuntur, *Steinpocken*, *Epispocken*, si vero lactice seroso repletae manent, *Wasserpocken*. Utraque haec variolarum species exigua ut plurimum comitatur febre, et raro, copiose accedit, brevi quoque tempore, sine periculo, decursum suum absolvit.

§. 461.

Ut progressus atque curatio hujus saepe atrocissimi morbi, distincte explicari possit, omnem
ejus

ejus decursum in quatuor stadia distinguere, e re esse duximus. Horum primum vocatur, *contagii*, alterum *inflammationis*, tertium *suppurationis*, quartum *exsiccationis*.

§. 462.

Primum morbi stadium, praeter symptomata febribus continuis catarrhalibus communia, haec adhuc habet propria. Conqueruntur aegri de virium languore, ciborum fastidio, conatu vomendi, pavore in somno, capitis dolore, alvo clausa, tussi et horripilatione. His symptomatibus statim succedit aestus plus minus insignis cum siti, capitis, lumborum et dorsi dolore. Accedunt saepe diarrhoea, narium profluvium, oculorum splendor, stupor, somnolentia, delirium, convulsio.

§. 463.

Tertio, ut plurimum *quarto*, ab invasione, die, in superficie corporis, praesertim in facie et collo, maculae parvae et sparsae, conspiciuntur, quae sensim in pustulas et paulo post in vesiculas elevantur. Eruptionis hocce negotium, natura, ut plurimum, duabus diebus absolvit, ita ut sexto morbi die, febris cum symptomatibus decrescat. Hoc stadium vocatur *inflammationis*.

§. 464.

Septimo, vel *octavo* morbi die, stadium incipit *suppurationis*, citius in benignis, tardius in malignis et confluentibus. Intervalla tunc, prius alba, rubent, in tumorem attolluntur et dolore tensivo adficiuntur. Pustulae serosae, pure albo flavescente spisso implentur. Palpebrae intumescunt, clauduntur oculi, incenditur nova febris, secun-

secundaria dicta, cum ardore, dolore, siti, vigiliis.

§. 465.

Quartum stadium, quod vocatur *exsiccationis*, ab undecimo ad decimum quartum diem durat. Faciei tunc tumor et inflammatio recedunt, pustulae exsiccatae decidunt, et cutim, maculis rubicundis non nihil elevatis, obsessam relinquunt.

§. 466.

Haec est series symptomatum, quibus variolosus morbus, in subjectis ceteroquin sanis, sanguineque puro instructis, regulariter suum absolvere solet decursum. — Alio ordine idem procedit morbus, quando, corpora debilioris et laxioris constitutionis cum consuetis lentae et nervosae febris, symptomatibus, aggreditur: alio denique quando maligna aut petechiali febre comitatur. De priori, vere inflammatoria ferre variolosa, fufius agere, de reliquis vero, quae scitu sunt necessaria, addere nostri officii esse putamus.

§. 467.

Ardua res esse videtur, proximam hujus morbi causam, exacte determinare. Cum interim quotidiana experientia constet, homines, ad suscipiendum hunc morbum aptos, per commercium cum aliis, varioloso morbo affectis, eundem licet symptomatibus saepe diversum suscipere: inde satis evidenter apparet, causam ejusdem proximam in miasmate singulari contagioso, sanguinem et seroso lymphaticos humores, inquinante et febrem diversae indolis, excitante, consistere.

§. 468.

Eandem nos deprehendimus difficultatem in determinandis causis praedisponentibus et occasionalibus. Experientia interim docuit, animi adfectus, imprimis terrorem et metum, ceteris paribus, contagii susceptionem plurimum juvare.

§. 469.

Quamvis iudicium de exitu morbi variolosi, vix non semper dubium et fallax sit, sequentia tamen experientia comprobata apud autores, leguntur :

- I. Quae corpora fibris, rigidioribus, sanguineque abundante compactiori, sunt praedita, magis periclitantur, quam ea quae laxiori habitu, sanguineque tenui gaudent. Hinc senibus periculiosior, hic morbus, quam junioribus, observatur.
- II. Quae variolae, magis separatae atque pauciores, debito tempore in cute apparent, quae porro elevatae persistunt et suppurant, circuloque rubro cinguntur, sine periculo declarantur.
- III. Quae vero pustulae depressae cum fovea in medio, atque circulo flavescente aut bruni caloris circumdatae, quaeque nimis cito, iusto copiosiores, vel fuscae et nigrae, in conspectum veniunt, periculosae sunt.
- IV. Quo magis, spatium inter pustulas, rubet, tumet, et tenditur, circa tempus supurationis, eo spes melior, quo vero idem plus pallet vel fuscum est, eo pejus.
- V. Quando, salivatione imminuta, oris tumorem non excipit, manuum tumor, et manuum

num tumorem , pedum tumor , malum hoc recte judicatur symptoma.

VI. Motus convulsivi, dum juvant naturam in expellendo miasmate varioloso sub initium morbi, nil mali indicant: si vero in stadio morbi secundo vel tertio aut quarto apparent, ut plurimum lethales sunt.

VII. Diarrhoea moderata, ante eruptionem ab acrimonia in tubo intestinali, existente, excitata, nil mali portendit, quae vero sit colliquativa atque eruptionem variolarum impedit, periculum adfert.

VIII. Febris secundaria, quae tempore suppurationis oriri solet, nunquam sine periculo est, praecipue in confluentibus, quae transpirationem impedientes, congestionem materiae variolosae in partibus internis efficiunt atque inflammationes viscerum v. c. phrenitidem, peripneumoniam, pleuritidem dysenteriam, apostemata quoque varia causant.

IX. Salivae profluxium atque diarrhoea purulenta, cum levamine symptomatum accedens praesagium dat bonum; si vero ex causa quacunque supprimantur atque angustia praecordiorum, deliria, sopores et animi deliquia sequantur, in summo periculo aegrum versari, experientia confirmat.

X. Denique in genere notandum; minus periculum portendere variolas, quae cum febre inflammatoria, signis evidentioribus, quam illae, quae cum febris lentae et nervosae symptomatibus, accedunt, omnium vero periculosissimas esse eas, quae febres malignas et petechiales comites habent.

Modus sanandi.

§. 470.

In variolis discretis, atque benignis, quae levissima, et vix sensibili, commotione febrili, accedunt, atque suppurationem cum placida maturatione, absolvunt, exsiccantur et decidunt, nulla vel paucissima remedia, adhibenda, sed potius omne restitutionis negotium naturae relinquendum esse arbitramur. Sufficit ut aegroti, in hac morbi conditione, omnia fedulo observent, quae conveniens vitae regimen postulat. — Si vero, ex errore, in regimine et diaeta commisso, eruptio atque suppuratio pustularum, ab accedente diarrhoea copiosa, vel languido humorum circulo retardatur, in priori casu, lene paregoricum, in altero vero blanda analeptica diaphoretica in usum vocanda.

§. 471.

Quod vero adinet, variolas, symptomatibus gravioribus, incedentes, iis medendi vix datur methodus generalis. Ex iis enim, quae supra obiter notavimus §. 466. satis evidenter apparet, ab una eademque contagii specie, tria diversa febris genera excitari posse. — Medico proinde sanationem variolarum suscipienti, ante omnia incumbit, ut corporis aegrotantis diversam, quoad solidas fluidasque partes, constitutionem, ejus aetatem, vitaeque consuetae regimen, acrisque dein temperaturam probe examinet, atque ex his inter se collatis verum sanandi modum determinet.

§. 472.

Ut vero sciant medici juniores, qua methodo, variolae in corpore vegeto et cetroquin sano,
cum

cum symptomatibus febris inflammatoriae accedentes, bono cum successu, tractari debeant, sequentem nos modum sanandi, crebra experientia conprobatam, commendare nulli dubitamus. Quae vero in variolis malignis observanda sunt, simul exponere officii nostri esse putamus.

§. 473.

Regimine antiphlogistico a nobis supra descripto (§. 166. 167. 168.) temperaturae aeris, aegrique constitutioni, bene accommodato; mox, ubi morbi variolosi adsit suspicio, alvus remedio laxante ex manna et rhabarbaro, vel clysmate emolliente ducenda est. Sic enim vasa meseraica, a distentis intestinis, compressa, jam libera facta, eam cruoris partem, quae capitis, pectorisque vasa nimium expandebat, facilius admittunt, et ita materiam variolosam a capite avertunt.

§. 474.

Alvo soluta, mox ante quam febris accedit, aegrotus, universali infideat balneo, ex aqua tepida cum lacte aut sapone, parato. Munda enim atque laxa sic cute reddita, eruptio materiae variolosae subsequutura facilitatur.

§. 475.

Quamprimum febris, miasmatis suscepti, praesentiam, manifestat, ante omnia curandum, ut febris haecce inflammatoria, a contagio varioloso, excitata, et graviora saepe symptomata, portendens, ad justum moderamen, reducatur.

§. 476.

Ubi itaque in corpore robusto et vegeto, sanguine et humoribus abundante se manifestat variolo-

da tamdiu, donec ex symptomatibus morbi pateat, putredinosum cruoris statum, in melius verti, et vires exhaustas, aliquo modo exsurgere. — Largiori quoque analeptico et antiseptico potu et diaeta simili circa initium stadii quarti aegroti est succurrendum.

§. 508

Crebra quoque experientia compertum habemus, pedum atque manuum, frequentes immisiones in aquam tepidam, cum aequali portione aceti vini mixtam plurimum in hac rerum conditione profuisse.

§. 509.

Quae de reliquo, circa sanationem, hujus generis variolarum, sunt observanda, ea omnia in sectionibus antecedentibus, de febre maligna catarrhali et petechiali satis fuse explicata leguntur; ratio itaque sanandi ex iis petenda, et monita ibidem notata, sollicitè observanda.

*Symptomatum medela.**In stadio primo.*

§. 510.

Spastici et convulsivi motus, eruptionem variolarum praecedentes, et aegros saepe misere conquassantes, si a miasmate varioloso, nervos agitante, proficiscuntur, non temere, anodynis, supprimendi, sed sibi relinquendi. Si nimis excedant, prodest tunc quidem, rubefacientia plantis pedum applicare, interne vero, remedia antispasmodica, ut sunt, castoreum, et salia volatilia ex regno animali desumpta exhibere. F. 93. — In adultis, et sanguine abundantibus corporibus, saepe

saepe sectio venae juvat. — Qui vero spondanei oborti, junguntur diarrhoeae, et ideo a saburra primarum viarum pendent, enematis emollientibus oleosis, et lenissimis laxantibus mannatis et rhabarbarinis, moderandi.

§. 511.

Narium haemorrhagia largior, cum aestum febrilem minuat, et ideo variolas benigniores reddat, nunquam temere supprimenda. Si nimis profusa, eruptionem variolarum, retardat: pedes calore fovendi, interne vero acida, nitrosa, et si necessitas urgeat cortex peruvianus, in usum vocanda. — Prodest quoque in hoc rerum statu, acetum cum camphora, naribus adtrahere, et collo, temporibusque tepide applicare F 55. simul vero erecto corpore, in lecto sedere.

§. 512.

Anxiis vomitionibus, neque emetica, neque etiam opiata, quadrant. — Securius, ipsas mitigat, methodus antiphlogistica, et regimen perspirationi favens. — Hinc convenit, exhibere, diluentia tepida, alvum enemate solvere et ventriculo epithemata calida applicare, donec variolis prodeuntibus, sponte cessent. Si nimis ardet febris, vomitusque immanes sunt, mox vena secanda et enemata ex oleo lini parata, injicienda.

In statu secundo et tertio.

§. 513.

Adfectus soporosi, optime leniuntur, vesicatoriis, et rubefacientibus plantis pedum applicatis, adhibitis simul pediluvii, et enematis antiphlogisticis.

§. 514.

§. 514.

Dolor ab inflammatione, in cute, et pustulis, excitatus, si nimius est, et febris vehementiam, auget, leni paregorico, cum acido, egregie mitigatur. F. 54. 58.

§. 515.

Fauces dolentes, gargarismate ex decocto radicis liquiritiae vel florum sambuci cum ficibus et oxymelle parato, lacteque remixto, leniuntur.

§. 516.

Oculi ne a palpebris tumidis, claudantur, quotidie lacte et aqua, vel etiam decocto seminis sumach cum lacte, spongiis, assiduo foveri possunt, ut mala quae ipsos infestare solent, avertantur.

§. 517.

Salivae profluvium, quo natura, cum successu semper prospero, humorum accumulatorum pondus, evacuare, intendit, diluentibus et aperientibus liquidis omni modo promovendum. Si vero excedat, enematibus emollientibus regimine subfrigido et potu diluente acido, copiose hausto, moderandum. — Si deficit, gargarismate ex decocto, sinapi et piperis cum oxymelle, excitandum.

§. 518.

Diarrhoea per quam natura, retentam a transpiratione suppressa, serosam colluviem saepe, salutari effectū evacuare solet, sibi relinquenda, immo enematibus rhabarbarinis et mannatis, promovenda. Si vero nimia fit, ita ut pustulae depressantur et interstitia livida reddantur, illico, cortice cascarillae, F. 70. vel leniori opiato F. 58. sisten-

sistenda. — Diafcordii drachmas duas, in decocto veronicae dilutas, loco clysmatis injicere suadent autores.

§. 519.

Paucae guttulae sanguinis, ex naribus stillantes, si simul pustulae depressae saepe nigricantes et cinereae, ichore repletae, aliaque exanthemata, se manifestant, vires vitae deficientes, atque ideo usum corticis peruviani et laudani, indicant.

§. 520.

Dolor capitis acutus et phrenitis, si cum febre secundaria vehementiori se manifestant, magnum portendunt periculum. — Sine mora proinde sanguis sufficiente copia ex vena detrahendus, veficatoria pedibus applicanda, et methodus antiphlogistica adhibenda, alias morbus brevi fit insanabilis.

§. 521.

Nausea et pondus ventriculi, magna corporis inquietudo, dolor capitis, pectorisque oppletio, quando, alvo obstipata, circa sextum eruptionis diem, oriuntur, mox eneinatæ ex lacte, saccharo et sale alvus ducenda, inprimis si tenesmus, cum parca excretionē aegrum divexat. Si haec tunc non mitiora siant symptomata, vomitus remediis F. 31. 32. secundandus. Plura de his in monitis.

§. 522.

Inflammatiō anginosa avertitur, aqua florum sambuci, cum roob diamoron, nitro et croco, remixta, applicatis simul cataplasmatibus emollientibus et rubefacientibus ad pedum plantas.

to, cum aqua, vel epispastica et vesicantia, metacarpo, et pedum condylis, sunt applicanda. — Soleo quoque ante usum vesicantium, optimo cum successu, has partes fovere cataplasmatibus emollientibus, vel spongiis, decoctis, mollibus, inbutis. — Alii, ceu summum remedium, ad praecavenda mala symptomata, in hac morbi conditione, die, ante quam os et facies, subsident, svadent, manus, et pedes emplastro quodam suppurante, e. g. emplastro citrino, laxe involvere, quo quidem auxilii genere, serum acre a capite ad partes extremas, transferri, dolorem in his partibus minui, et pustulas exsurgere et maturare, contendunt. — Solent quoque in casu periculoso, nonnulli medicorum, egregio cum successu plantis pedum, apponere vesicatoria, vel cataplasmata cantharidibus mixta.

§. 531.

Venarum solutio non solum in morbi principio, verum etiam in ejus statu, febre pneumonica, phrenitica, aliisque symptomatibus gravioribus, urgentibus, imo circa finem saepe indicatur.

§. 532.

A regimine sudorifero, atque remediis sic dictis alexipharmacis, omni studio abstinentum. Quam infesta enim haec adeo ulitata methodus fuerit multis aegrotis, quotidiana, proh dolor, docuit experientia. Consultius nos esse putamus, eruptionem variolarum retrocedentium solis infusis herbarum cum melle, vel etiam vino, bonae notae, moderate promovere. — Regimen praefertim suppurationis tempore fervetur frigidiculum, et aeger, si febris est nimia, quoti-
die

die per unam aut alteram horam, extra lectum sedeat in cubiculo, aere temperato et saepe renovato, repleto.

§. 533.

Urinae suppressio praesertim circa tempus eruptionis, tollitur, mora extra lectum, situ corporis erecto, enemate emolliente, cremore tartari vel sale mirabili GLAUBERI, ad unciam dimidiam, in multa aqua, soluto.

§. 534.

Balnea tepida, non solum materiae variolae decubitus a partibus nobilioribus arcent, eruptionemque pustularum juvant, verum etiam efficiunt, ut aqua sic quidem absorpta, cruorem diluat. Manus proinde ac pedes, optimo cum effectu per omnem morbi decursum, ad facilitandam eruptionem pustularum atque suppurationem, in tepidam, quotidie detineri possunt.

§. 535.

Usus opii, in persanandis variolis, alii maxime attollunt, alii vero, nulli variolarum generi, convenire adfirmant. Nos cum experitissimo TRALLESIO usum atque abusum ejus, hoc modo, determinamus, nempe:

- 1.) Cum opium virtute sua, motum sanguinis intensiorem efficiat, eundemque versus caput dirigat, et ideo methodo antiphlogisticae, plane contrarium sit: ejus usus, durante febre prima, noxius, et a vera sanandi ratione, alienus, aestimatur.
- 2.) In febre secunda, inprimis, si torpeat, atque tumores capitis, artuumque, subsideant, opium, suppurationem variolarum, promovet,

et ideo minuta dosi, versus noctem ad falicitandum morbi decursum exhiberi potest. Simul vero opera danda, ut satis respondeat alvus.

- 3.) Quoties summi cutis dolores, inquietudines, et vigiliae, usum opii indicant, illud tuto, vespere ingruente, dari potest, si de die leni cathartico remedio prius fuerit soluta alvus.
- 4.) Si vero in hoc statu morbi, capite, collo, et pectore, adfectis, simul urgeant, febris, delirium, convulsio, tumor faucium, respiratio peripneumonica, tunc ab usu opii abstinendum, et potius salus unica a purgantibus, mature adhibitis, speranda. Commendatam proinde sibi habeant regulam, practici juniores, quam his verbis experitissimus SIMSON tradit: „In morbis, in „quibus copia corruptorum humorum adest, „potius dandam esse operam, ut illi educan- „tur et alvus aperiatur, quam exhibendum „esse medicamentum, quod naturali sua „actione, omnes excretiones inhibeat, „quemadmodum opium.“

§. 536.

Vesicatoria, non promiscue, in quolibet variolarum stadio sunt adhibenda. Cum enim sal acre, quoddam sanguini addant, fibrasque insigniter stimulent; eo in morbi statu, in quovis vasorum oscillatoria, jam nimia, et motus fluidorum, rapidior observatur, ut plerumque in variolarum principio fieri solet, absque ullo iudicio applicantur. — Praeposteram hanc vesicatoriorum applicationem saepe, pervigilium, delirium

lirium, urinae suppressionem, subsultus, tremores, et alia subsequuta fuisse observavimus.

Eximiam vero utilitatem praestant, quando, solida torpent, circulatio languescit, et aeger comate corripitur: quando, salivatione imminuta, et ore subsidente humores criticos, ad partes exteriores, manus nempe et pedes, allicere intentio est: denique vero, quando ex raucitate, dolore, et magno aestu oris, nariumque obstructione, et aliis signis apparet, linguam, fauces, et narium vias, pluribus infestari pustulis, tunc enim ad avertendum periculum, statim post aures, nuchae quoque et aliis partibus vesicatoria applicari possunt.

§. 537.

Si natura, serum lymphaticum, a transpiratione suppressa, accumulatum, per renes evacuare molitur: omnis cura adhibenda, ut haec secretio per vias uriniferas facilitetur. In hunc finem, cremor tartari, et nitrum multa aqua vel sero lactis dilutum bono cum successu, dari possunt. Simul vero necesse est, ut aeger regimen observet subfrigidum, et quantum vires corporis permittant, extra lectum moretur.

§. 538.

In *nimia faciei et colli tumore*, eximiam operam praestant, cataplasmata emollientia, et si haec non sufficiant, fermentum panis, cum semine sinapi et aceto vini, permixtum, plantis pedum adplicanda.

§. 539.

Salivae profluvium, omni modo, gargarismatibus, ex decoctis herbarum emollientium cum

plastris, firmatur. — Hoc factò, circa sextum vel octavum post operationem diem, pustulae erumpere solent, uti id viri in arte exercitissimi adfirmant, benignae et discretæ, cum symptomatibus, usitatis, mitioribus. Variolae hoc modo inductæ, eandem postulant modum mendendi, quam quæ a natura fuerunt excitatæ.

§. 546.

Quanta industria sit excultus hic modus inoculandi, et quam magnum ei sit statutum pretium, numerosissima, summorum in arte viro- rum testantur scripta. Quantuncunque vero hucusque, hæc praevaluerit methodus, suprema quoque autoritate suffulta, et condecorata, tamen multum, varieque disceptatur, an cum bona conscientia insitiones fieri, itemque an non alii morbi et humorum contaminationes, simul cum variolis inplantari possint. Cum mihi, tantas componere lites, facultates haud suppetant, ad sententiam viri in arte exercitissimi, DE HAEN hic provocare mihi liceat, qui argumentis gravissimis, convictus, statuit, methodum hanc vix non semper esse suspectam, neque ideo tuto admitti posse, nisi, posito hoc principio, quod in plurimorum salutem, de vita paucorum, disponere, pro lubito liceat.

§. 547.

Inter argumenta vero, quæ magnus vir, inoculationis patronis, propria, aliorumque experientia, confirmata objicit, hæc potiora esse videntur. Vid. Rat. med. P. IX. p. 272.

- i.) Vanam esse, eam securitatem, qua, sopire eorum, inquietudines fatagant, quibus insitio,

fitio, aut nullas conciliaverit aut perpauca variolas,

- 2.) Nil calamitosius posse accidere parentibus, quam naturali via servatam sibi prolem videre, artificiali occisam.
- 3.) Et post infitas variolas, et post spontaneas, homines iisdem, inpeti, secunda contagione, naturalium: ut profecto hi, qui naturales, variolas passi, sese dederint, inoculandos, aliove, qui rite naturalibus, perfuncti essent, inoculaverint, cum divina providentia, ut ita dicam, luserint: potuisset enim, quod aliis, idem aut sibi aut illis contingere.
- 4.) Quotquot infitionem subierint, hos aequum securitatis habere, quam ii, quos adortae sint naturales variolae, ne conversantes cum variolosis, easdem denuo sibi contagio, contrahant.
- 5.) Etiam id, quod nonnulli adseruerint, qui frequentia experimentorum convicti, et tamen inoculationi dediti sunt, esse nempe alteras variolas benigniores, prioribus: a veritate alienum esse, siquidem et Florentina puella, puerique Tergestini, multo copiosiores, suas posteriores variolas, quam priores habuerint, et juvenis Francofurtensis et juvencula Constantinopolitana, aliique complures nos convicerint, de secundarum variolarum tam malignitate quam lethalitate, etc. Plura de hac re proponit expertiss. autor, in difficult. super inoculat. et Rat. med. P. X. Cap. VI. et P. XII. Cap. VIII.

§. 548.

In stibio atque mercurio, latere remedium, veneno varioloso oppositum, BOERHAVIUS et alii contendunt. Laudat in hunc finem van der BOSCH Batavus, in sua de hac re conscripta dissertatione, aethiopem mineralem, mercurium sex vel septies sublimatum, mercurium diaphoreticum Jovialem, mercurium animalum solarem debita cautela imminente vel praesente contagio varioloso, exhibendum. Ipsi inoculatores, mercurium, antimonium et sulphur ad corpus praeparandum, vel malum mitigandum adhibent. Erudite haec exposuit, vir experientiss. de HAEN. Rat. med. cont. Tom. I. pag. 80--92.

§. 549.

Experientia quoque compertum habemus, nonnullos qui naturales variolas nondum sunt passi adultiores, primis vitae suae diebus, ulcere umbilici fuisse divexatos. Dantur quoque casus, ubi in infantibus eodem hoc vitio, olim adfectis, insitio nullas conciliaverit variolas. An forte circa vasa umbilicalia lateat morbi variolosi fomes, et an ulcera statim post partum, arte facta in hac corporis parte, aliquid ad extirpandum contagium variolosum conferre possint, iudicio atque experientiae aliorum relinquo.

§. 550.

Inter remedia, quibus vires aliquas in sanando varioloso morbo tribuunt autores, haec notare expedit:

℞. Croci orient. ʒʒ.
 coccinell. ʒʒ.
 sacch. cand. ʒi.

M. F. pulv. No. VI. D. S. Capiat aeger unum,
 quar-

quarta quaque hora cum cochleari aquae theriacal. per triduum, et postea sexta quaque hora. *Remedium eximium* dicitur in variolis confluentibus.

2.

℞. Nitr. depurat. ℥i.
 sacch. alb. ℥iv.
 coccinell. gr. XVI.

F. pulv. qui conjiciatur in aqv. font. bullient. ℥ij. Coque et despuma et per residuum depura.

3.

℞. Cort. ulm. ℥vi.
 rad. glycirrh. ℥℥.
 pass. enucleat. No. XX.
 ros. rubr. pug. ij.

Coqu. in s. q. aqu. fontan. ad ℥℥. in colat. dissolv.

oxymel. scill.
 mell. ros. ana ℥ij.
 M. S. gargarisma.

4.

Contra maculas a Variolis relictas.

℞. Al. amygd. d. ℥℥.
 cer. alb.
 sperm. cet. ana ℥i.
 bals. Gilead. ℥℥.

M. F. Liniment. D.

5.

Contra ulcera corros. in facie et aliis partibus.

℞. Mell. rosac. ℥ij.
 spirit. vitriol. q. s. ad acid.

D.

SVBSECTIO XII.

DE MORBILLIS.

Theoria morbi.

§. 551.

Exanthemata, plus, minus lata, depressa, parum vel nil elevata, suppurationem non admittentia, et sexto vel septimo die, sub squamarum forma, instar furfuris decidentia, vocantur morbilli.

§. 552.

Magnam cum variolis affinitatem habent, morbilli, contagio saepe communicantur, epidemice grassantur, et in benignas et malignas dividi possunt, — Sunt quoque vel distincti, vel confluentes.

§. 553.

Signa, quae exanthemata haec imminetia, et egredientia, comitari solent, praeter symptomata, cuilibet feбри exanthematicae communia, praecipua habentur: tussis sicca plus minus violenta, sternutatio frequens, palpebrarum intumescencia, humoris serosi rodentis per nares, et oculos, effluxus, haemorrhagiae solennes. Haec saepe, jam ante eruptionem morbillorum, infestare solent, et vera signa eorundemque pathognomica constituunt.

§. 554.

Tertio, ut plurimum die, raro citius, prodeunt maculae latiores, in aliis instar morsus pulicum, modo purpureae, modo pallidae, interdum distinctae, saepe, post breve tempus, confluentes. Parum vel nihil elevantur, sed lenticulari

culari eminentia planam cutis superficiem occupant. Iis prodeuntibus, cutis universa, potissimum palpebrae tument, nullam subeunt suppurationem, sed sexto, septimo vel octavo die, ruborem exeunt, et saepe cum desquamatione, saepe quoque sine ea disparent.

§. 555.

Morbilli, in omnibus fere corporis partibus, apparent. Copiosius efflorescunt in facie, et ab hac sensim ad pectus, ventrem et crura se diffundunt. — Differunt imprimis a variolis, supuratione, a petechiis latitudine, elevatione magis conspicua et inflammatione erysipelacea; a maculis scorbuticis vero, calore et febre.

§. 556.

Quemadmodum causae praedisponentes, et occasionales, eadem fere sunt, ac illae, variolarum, ita etiam causa eorundem proxima, in acrimonia tenuissima, et causticae indoles, consistere observatur, quae partes, quas occupat, inflammat.

§. 557.

Ut jam ad prognosin deveniamus; morbilli si sunt regulares, et exteriora corporis occupant, non adeo magnum inferunt discrimen, sed feliciter utplurimum decurrunt. Si vero delirium vel dyspnoea suspicionem faciunt, ad encephalum vel pulmones, simile haerere malum, anceps saepe discrimen est. — Si porro, magna virium prostratio, haemorrhagiae profusissimae, diarrhoeae enormes, atque convulsiones accedant, in magno periculo, versari aegrotum, facile patet. — Cuilibet quoque notum est, morbillos,
qui

qui epidemice grassantur, ut plurimum peioris indolis, imo malignos esse.

Modus sanandi.

§. 558.

Si morbus, benignioris indolis est, omne curationis punctum consistit in eo, ut corpus sufficienti liquidi demulcentis copia repleatur, circulusque humorum ita moderetur, ut materia morbi, placidis naturae motibus, de corpore exterminari possit.

§. 559.

Si vero, aestus gravior, respiratio laboriosa, aliaque symptomata urgentia, sub morbi ingressu, se manifestant, statim sufficiens sanguinis copia semel, vel bis, in personis, aetatis provectioris, ex vena detrahenda. Minuto enim sic quidem sanguinis pondere, anxietates, cephalalgia et deliria, sanguisque profusiones, facile praecaventur, et si adsunt, tolluntur, simulque, materiae exanthematicae expulsio, facilitatur.

§. 560.

In eundem finem, mox enemata ex aqua tepida, cum emollientibus herbis, decocta, atque pediluvia, adhibenda. Utrumque praesidii genus, non solum eruptioni macularum egregie opitulatur, sed quoque nimiam eorundem copiam, a partibus corporis nobilioribus, versus extremitates derivat, atque ideo impedit, ne, morbo superato, inflammatio palpebrarum atque glandularum sebacearum, pruritus atque corrolio superveniant.

§. 561.

Praeter auxilia §. 559. 560. saepe de die et nocte exhibeantur infusa ex floribus sambuci et tiliae, cum quarta parte lactis remixta, veletiam tisanae supra praescriptae F. 30. 40. 41. Inter remedia, quae in hoc morbi statu, circulo humorum, fraenum injiciunt, mixtura F. 39. et similia, potiora sunt. Quando sub recto, horum remedium usu, morbus declinare, et morbilli pallescere, incipiunt, mox alvus potioni laxante F. 6. 50. ducenda, et regimen reconvalescentium supra descriptum exacte observandum.

§. 562.

Haec, quae modo indicavimus, sedulo sunt observanda, si febris morbillosa, ante eruptionem, nimio peccat inpetu. Si vero languida est febris, pulsusque debilis atque depressus, ea tunc in subsidium vocanda remedia, quae circulum humorum incitare et ideo excretionem cuticularem promovere valent. — Perniciosa fuisse reperta in hoc morbi statu, nitrosa refrigerantia, et missiorem sanguinis, inter alia observata bene multa, singularis ille casus, quem refert, HOFFMANNUS (Med. syst. rat. de morbill. Obs. VII. confirmat, ubi tres puelli, a medico, intempestivo nitri usu, fuerunt necati, qui sine dubio fuissent servati, si loco refrigerantium, circulum excitantia fuissent adhibita remedia.

§. 563.

Ad excitandum proinde, nimis languidam febrim, excretionemque morbillorum, justo tardio-rem promovendam, praeter vinum generosum, convenienti copia haustum, securiora sunt
infusa

infusa F. 44. 68. atque emulsionem camphoratae F. 75, vitando, theriacalia, diascordium, mithridatium et alia calidiora sic dicta alexipharmaca. — Versus noctem, optimo cum successu, in hac rerum conditione, syrupus diacodii, idonea dosi, et aliquot guttulae laudani liquidi SYDENHAMI, continuari possunt, donec pulsu fortiori reddito, efflorescentia in cute appareat.

§. 564.

Symptomatum medela.

Vomitus cardialgia, motus spastici et convulsi, ab initio morbi, remediis non statim oppugnanda, quia post eruptionem saepe sponte cessare solent. Si vero plus urgent symptomata, quam ipsa febris, atque aegro minantur periculum, praeter rubefacientia et epispastica, opiata quoque, idonea dosi, vicibusque repetitis, exhiberi possunt F. 67. Si ex signis, constet, canalem intestinorum, multa saburra viscida, esse repletum, optimo tunc quidem cum effectu, granum dimidium tartari emetici, cum syrupo de cichorio et rhabarbaro, dari potest.

§. 565.

Tussis molestissimum hujus morbi symptoma, in primo morbi stadio, vapore, aquae cum emollientibus coctae, saepe, ore et naribus, attracto, egregie mitigari potest. Si vero pertinacior persistit, omnemque quietem et somnum excutit, praemissis syrups et decoctis pectoralibus F. 95. 96. syrupus de meconio vel ipsum opium in usum vocari potest. Si enim non adeo valida est febris; hoc pharmacum, idonea dosi vesperi exhibitum, tussim mitigat atque sub placido

do somno eruptionem exanthematum juvat. Si gravior existit tussis, etiam sub febre auctiori, praemissa venae sectione, opium dari potest.

§. 566.

Si morbo superato, *tussis* remanet sicca, atque in habitum degenerans, *febrem lentam* et *phthisin* minatur, praeter vapores emollientes, balneaque tepida, et lac asininum, laudanum liquidum vel massa pillularum de cynoglossa, vesperi ad eam placandam in usum vocetur. Eidem quoque consilio inserviunt, serum lactis, lac ipsum cum aquis selteranis remixtum, mannata et cortex peruvianus, imprimis si aegroti corpus sufficienti exerceatur motu in aëre puro.

§. 567.

Cum, magnam partem materiae morbillosae, saepe per alvum evacuari, et ideo morbum leviores reddi, experientia doceat: *diarrhoeam* a natura excitatam, si quidem limites haud excedat, sub initium morbi, non temere esse supprimendam, sed potius lenioribus rhabarbarinis sustinendam, facile patet. — Eandem quoque non esse coercendam in secundo morbi stadio, quamdiu exanthemata in cute non dispareant, pulsusque persistat fortis, simili modo intelligitur. — Ubi vero, in utroque morbi stadio, eo usque invalescat, ut vires, acre morbillosum expellentes, infringat et ideo exanthemata erumpentia vel erupta, versus interiora retrahat: remedia tunc quidem supra laudata F. 58. 59. et similia ad sistendum profluvium, circulumque humorum a centro versus corporis peripheriam restituendum, in usum vocari debent.

§. 568.

Fieri saepe solet, ut post morbillos superatos, remaneat pertinax *diarrhoea*, aegrum penitus exhauriens. Haec curatur, lacte cum oryza vel floribus balaustiorum cocto; laudano liquido, ad aliquot guttulas, versus noctem, exhibito: pillulis ex corticis peruviani extracto et opio, paratis, atque diaeta blanda demulcente, acrimoniae humorum opposita. — Venaesectionem in hac morbi conditione laudat SYDENHAMUS.

§. 569.

In *haemorrhagiis*, quae ut plurimum, morbi indicant malignitatem, a fortioribus adstringentibus et opiatibus, abstinendum, et leniora antiseptica in usum vocanda F. 97.

Monita practica.

§. 570.

Aegroti, quibus sub regimine nimis calido, exanthemata livescunt et nigrescunt, ut plurimum pereunt, nisi tempestive, missione sanguinis et regimine antiphlogistico subleventur.

§. 571.

Si ob vim vitae debilem, morbilli, praetere recedunt, vel circa tempus desquamationis, luridi et lividi fiunt, praeter epispastica, et frictiones, totius corporis, ferum lactis vinosum tepidum et leniora excitantia remedia, profunt.

§. 572.

Si *sub finem morbillorum* accedunt: saevissima tussis, aestus gravior, dyspnoea, et affectio peripneumonica et anginosa, unica spes salutis in
missio-

missione sanguinis est posita. Alvus quoque enema vel laxante rhabarbarino, eluenda et epispastica inter scapulas, applicanda. — Idem praesidii genus, svadente SYDENHAMO, etiam in infantibus, adhiberi potest quando nempe anginosa deglutitio et respiratio anhelosa cum strangulatione suffocativa urgent. Prodest quoque in hoc rerum statu, gutturi applicare cataplasma ex fermento panis, sapone lotricum et sinapi, et dein erosae cuti applicare emplastrum de meliloto.

§. 573.

Non possum non, quin remedii, a WEBERO de TURNBERG inventi, mentionem faciam, cujus usum insignem, de HAEN in scarlatina maligna aliisque morbis exanthematicis et non exanthematicis desperatis, laudat. Haec vero ejus est compositio:

℞. Rhei elect.
 spirit. falis coagulat. ana ℥ij.
 merc. dulc.
 Auri fulmin.
 Extr. squill. ana ℥i.
 roob. Junip. q. s.
 Ut fiant pillul. gr. i — ij. auro vel
 argent. obduc.

Lex autem assumendi est; ut pro ratione aetatis morbique violentia quovis bihorio, una vel duae pillulae exhibeantur alvusque singulo die tribus vel quatuor vicibus sit aperta, ut porro infusum diureticum baccarum juniperi, et praecavendum ptyalismum superbibatur; post trium vel quatuor dierum usum, duos dies ab eo abstinatur, neque in validiori febre detur. *Vid. de HAEN. Rat. med. contin. Tom. I. 146.*

§. 574

Quemadmodum nil pejus atque perniciosius est, quam si aegroti stragulis nimium obruantur, atque in aestuoso aëre detineantur: ita summopere quoque cavendum, ne erumpentibus morbillis, aëre frigido inprovidè admisso, indusiisque sudore madidis, exanthematum eruptio praepe- diatur.

§. 575.

Finito morbo, aliquoties, leni remedio laxante, alvus ducenda per aliquot septimanas, loco cerevisiae, ad contemperandam acrimoniam humorum, decocto ex radicibus scorzonerae, cichorei, liquiritiae, corticis ligni sassafras et simili- bus F. 47. utendum, et corpus ab aëre frigido muniendum.

SUBSECTIO XIII.

DE FEBRIBVS LENTIS CHRONICIS.

Theoria morbi.

§. 576.

Febres continuæ, quæ tardiori motu, tempora sua absolvunt, atque sedem suam, in humo- ribus, seroso, lymphaticis præcipue habent, symptomatibusque ab initio levioribus, accedunt, tandem vero ut plurimum funestæ fiunt, vocan- tur *febres lentæ*.

§. 577.

Aliae, harum febrium, benignioris indolis sunt, et sæpe per annos, aegrotos divexant, do- nec

nec tandem sub pessimis symptomatibus emaciati, viribusque exhausti, pereant. Aliae vero symptomatibus gravioribus stipatae, nervos potissimum afficiunt, atque ordinarie circa vigesimum primum diem, saepe tardius finiuntur. Prioribus nobis vocantur *lentae chronicae*, posteriores *lentae nervosae*. De iis quae chronicae vocantur, primo agendum esse, ratio instituti postulat.

§. 578.

Qui hac febre laborant, ab initio, vix aegrotari, nullumque quod grave sit symptoma, pati videntur. Mane et ante meridiem vix ulla exacerbatio febrilis, ex pulsu animadvertitur, post prandium vero et versus noctem, pulsus observatur frequentior et celerior, corporisque languor auctus. — In progressu morbi, calor sere continuus, sudores sub somno largiores et alia symptomata accedunt, corpus sumto alimento, non proficit, sed paullatim marcore consumitur et liquefcit, donec aeger viribus omnibus exhaustus pereat.

§. 579.

Calor itaque lenior, post partum increfcens, atque paullatim vires corporis conficiens, signum pathognomonicum febris lentae, constituit.

§. 580.

Febris lenta differt a hectica. Illa enim mitiora habet symptomata, atque a vitio humorum et incipiente mala dispositione partium solidarum, originem ducit: haec vero a labe et corruptela visceris cujusdam, excitatur, atque calorem continuum et acriorem, omniaque symptomata graviora habet.

§. 581.

Causa proxima est acrimonia, quae humores praesertim seroso - lymphaticos sensim paulatimque, inquinat, atque solida, ad motus febriles mitiores depascentes, continuo, irritat.

§. 582.

Ad hanc suscipiendam acrimoniam inprimis disponunt:

- 1.) Partium solidarum ea debilitas, ut non valeant, inutiles atque superfluos humores impuros, per consueta organa excretoria de corpore expellere. Haec debilitas saepe nativa est, saepe vero a morbo quolibet graviore et male curato relinquitur.
- 2.) Ulcera interna et externa, ex quibus, per vasa absorbentia, partes acriores sanguini et humoribus admiscuntur.
- 3.) Morbi quicumque male curati, in quibus materia peccans non omnis fuit soluta et excreta.
- 4.) Defectus nutritionis, a quacunque causa, nata.

§. 583.

Causarum occasionalium plurimae habentur: earum vero praecipuae sunt; omnes illae, quae sanguinis massam impuram et vitiosam reddere valent, ut: aër putridus, iners, non renovatus et respirando sanguini mistus: ingluvies nimia et inde relictæ cruditates primarum viarum: potus calidi et fermentescentis abusus: motus corporis deficiens: vigiliae nimiae: somnus justo longius protractus: omnes excretiones nimiae et consuetae suppressae: moeror, tristitia et reliqua.

§. 584.

Ut tandem ad prognosin deveniamus, notandum: febrem lentam in principio congruis remediis,

mediis, paullatim, in progressu vero, si continua jam urget febris, majori difficultate sanari posse; — In summa morbi gravitate, ubi jam tumor oedematosus pedum, respiratio brevis, pilorum defluvium, sudores et diarrhoeae colliquativae adsunt, vix nisi palliativa curatio locum habet. — Experientia quoque confirmat, febres lentas, ex intermittentibus legitimis, recens natas, minus esse periculosas, quando in intermittentes denuo transeunt. — Periculosiores sunt, quae in acutos mutantur morbos. — Si tussis sicca, et respiratio laboriosa cum febre urgent, atque decubitus in uno vel altero latere molestior fit, transitus in hecticam imminet.

Modus Sanandi.

§. 585.

Maximum has febres, expugnandi praesidium, in exacta vitae, victusque ratione est positum. Hinc tristes animi adfectus, ejusque nimia attentio, et omnes labores corporis nimii sollicitate vitentur. — Aegri in aëre puro libero, si fieri possit, in locis montosis, commorentur, et corpus, quotidiana, ad moderatos usque sudores, protracta equitatione, praesertim matutino tempore, vel etiam vectura in rheda exercent. Victu utantur bono, blando, facile digerendo, et sollicitate abstineant ab omnibus acris aromatis et calidis spirituosus.

§. 586.

Cum vero, in dijudicandis atque investigandis variis causis §. 582. 583. quae huic feбри dederunt occasionem, vera sit posita medendi ratio:

§. 590.

Fieri quoque solet, ut *post febres acutas* remaneat febricula lenta et depascens. Praeter exactum vitae regimen huic consilio maxime inserviunt:

- 1.) Ptisanæ atque decocta sanguinem et humores, diluentia et depurantia F. 21. 47. vel etiam serum lactis, at aquae selteranae cum lacte remixtae, sufficienti copia sub moderata corporis exercitatione, hausta.
- 2.) Extracta amara, in liquore terræ foliatae tartari, soluta, et ad guttas octoginta aliquoties de die exhibita. F. 16. 17.
- 3.) Si debilitas partium solidarum, in causa esse, cognoscitur, neque suspicio obstructionis vel scirrhi visceris cujusdam contra indicat, tunc quidem cortex peruvianus, usus lactis et sufficiens corporis exercitium, omne punctum curationis absolvunt.

§. 591.

Ab *humorum et virium defectu* quoque hanc febrem oriri posse, experientia docet inprimis post evacuationes nimias et diuturnas. Harum vero precipuae habentur: abusus veneris, salivatio profusior, gonorrhoea et fluor albus diuturnus, alvi profluvium nimium, lactatio nimia, haemorrhoidum quoque et catameniorum fluxus copiosus et diuturnus. Animi tandem adfectus diuturni, inprimis moeror, cura, nimii corporis labores, vigiliae diu protractae et alia, multum huc conferunt. Hoc genus febris lentae sanatur nutrientibus et roborantibus. Idcirco:

- 1.) Cibis utantur nutrientibus, v. c. jusculis tenuioribus, ex carne vitulina, et pullis juni-

junioribus, paratis, cum cancris fluviatilibus contusis, vel etiam cum herbis chaerophylli, radicibus petroselini, apii dulcis, et aliis coctis. Utantur quoque ptisana ex radicibus graminis, scorzonerae, chinae et aliis cum pauxillo cassiae lignae, vel sola vel cum jusculo pulli remixta. Lac quoque asininum aut caprillum vel vaccinum aqua remixtum pro potu ordinario, multum praestat.

- 2.) Vitentur: omnia quae calefaciunt, alvumque stimulant: motus corporis inpensior et alimenta quaecunque difficile digerenda. Animus fervetur tranquillus et hilaris, corpus vero motu leniori, per gestationes et deambulationes, exerceatur.
- 3.) Si corpus, sic succis nutrientibus satis repletum animadvertitur, prudenti usu remediorum roborantium, inprimis corticis peruvianii, tunc quidem debilitati partium solidarum est occurrendum.

§. 592.

Saepissime febres lentae occurrunt in iis, qui ex mensium vel haemorrhoidum suppressione, aliisque causis innumeris, visceris cujusdam v. c. *hepatis, lienis, mesenterii obstructione* laborant. Adhibenda in hac febris specie sunt remedia, quae humores stagnantes, diluunt, resolvunt, eorundemque circulum per viscera obstructa restituunt. Huic scopo maxime inserviunt:

- 1.) Aquae medicatae, inprimis Egranae, Schwalbacenses, et Selteranae, debito ordine, tempore et dosi adhibitae, et frequens usus Elixirii rhabarbarini. F. 46.

2.) Si

- 2.) Si deest copia harum aquarum, vel si anni tempestas, usui earundem haud favet, loco illarum, dandum est decoctum ex jusculo tenuiori carnis vitulinae, cum radicibus, cichorei, foeniculi, asparagi, graminis, scorzonerae, et similibus. Hujus decocti per plures septimanas quotidie mensura integra, hauriri, atque potui ipsius medicamentum roborans ex marte vel cortice paratum, praemitti potest.
- 3.) Exquisita vero vivendi ratio, atque diaeta exacta, sub usu horum remediorum est observanda. Abdomen et spina dorsi, aliquoties de die, panno laneo, succini fumo inbuto, perfricanda, corpusque motu frequentiori, inprimis equitatione exercendum.

§. 593.

Ab *inebriantium spirituosorum* ut vini generosioris, spiritus frumenti, et cerevisiarum fortiorum, abusu, quae oritur febris lenta, sanatur:

- 1.) Decoctis demulcentibus, atque tisana, et jusculis ex hordeo et avena excortica, sero quoque lactiscum pauxillo nitri, lacte ebutyrato recenti, emulsionibus, gelatinis, sub corporis sufficienti motu et exacto victus regimine adhibitis.
- 2.) Vitando omnia quae calefaciunt, atque irritant, ipsa quoque salina incidentia et stomachica. Diaeta sit lubricans et gelatinosa.

§. 594.

Marasmus senilis vel ex plethora, vel ex cacochymia, ortum suum habere solet. Hoc genus febris lentae, si ex causa priori nascitur, missio
san-

fanguinis est instituenda, potus diluens, copiosus, suadendus, cibi nutrientes vitandi, et motu sufficienti, corpus agitandum. Si ex altera causa, praeter laxantia rhabarbarina mannata, passulata, gelatinae atque lacticia, maxime lac asininum, profunt.

§. 595.

Quae febres lentae *in infantibus*, ex nimia voracitate, refrigeratione, aut aliis causis nascuntur, optime sanantur, balneis temperatioribus, et crebriori usu liquoris terrae foliatae tartari vel alius liquoris salini compositi, potui ordinario admixti.

§. 596.

Cum nimis prolixum esset, omnes eas recensere causas, ex quibus febres lentescentes, in corpore humano, oriri, solent, atque quilibet rei medicae peritus, indicationes suas, iis facile superstruere, eaque remedia, quae tollendae causae proximae sunt accomodata, eligere possit, iis explicandis nos supersedere posse arbitramur. De lactis usu ceu remedio in omni corporis contabescencia, praestantissimo, pauca tantum addere, necesse ducimus.

§. 597.

Si lac asininum haberi potest, illud lacti caprillo et vaccino propterea praefendum quod plus sero abundat, minusque caseosae substantiae habet, adeoque magis abstergit, aperit et calorem febrilem exstinguit. Si ejus deest copia, lac e vaccis, herbis recentibus, pastis, substitui potest.

§. 598.

Lactis vero, cura optime ita adornatur, ut primis viis, probe prius evacuatis, omni mane, jejuno

jejuno ventriculo, in aëre libero et puro, sub moderata corporis exercitatione ejus libra dimidia vel integra, in praesentia aegri, ex uberibus animalis educta, tepide bibatur. — Post meridiem eadem dosis, vel major, cum aquis selteranis, remixta, paulatim bibenda. — Si aquae selteranae haberi nequeunt, infusum ex herbis, veronica, pulmonaria, hepatica, tussilagine, hedera terrestri et similibus cum aequali portione lactis, remixtum, tepide bibendum prodest, inprimis si illi addantur aliquot guttulae olei tartari per deliquium et parum sacchari.

§. 599.

Ut vero sub usu lactis, alvus satis respondeat, ejusque coagulum praepediatur, tertio vel quarto quovis die, ea in portione lactis, quae mane hauritur, uncia mannae calabrinae aut sacchari rosati, vel conservae rosarum dissolvi potest. Reliquis diebus mensura folius lactis cum sacchari uncia dimidia, atque nitri drachma dimidia remixta, successive bibitur.

§. 600.

Cura haec, ad minimum, per sex vel octo septimanas, sub adcurato vitae victusque regimine, continuanda, eaque sedulo vitanda quae ventriculum gravant, debilitant, et lac coagulant. — Nec promiscue vero haec cura praescribenda, iis qui lac commode ferre, nequeunt. Docuit namque experientia, lac minus convenire iis, qui passioni hypochondriacae obnoxii sunt, atque obstructa vasa meseraica habent; minus quoque iis qui a juventute, diaetae vinosae sunt dediti et cerevicias fortiores largius potare consueverunt.

Asini-

Afininum lac, ob rationes datas §. 597. lacti caprillo et vaccino, praeferendum.

Symptomatum medela.

§. 601.

Sudores nimii, quibus vires corporis maxime exsolvuntur, regimine frigidiusculo, lectique et stragulorum crebra mutatione, corporis ablutione cum aqua simplici subfrigida, vino gallico rubro remixta, egregie moderantur. Interne, huic quoque consilio inserviunt, ferum lactis, lac ebutyratum, aquae selteranae cum lacte remixtae nitrum et cortex peruvianus. — Aquam calcis vivae cum lactis aequali portione remixtam et quotidie ad mensuram unam vel alteram, sumtam, ceu praestantissimum et securissimum in coercendis fudoribus colliquativis remedium PRINGLIUS laudat. Prodest quoque infusum salviae. F. 87.

§. 602.

Ciborum fastidium et nausea praemissis rhabarbarinis mitigantur, pulveribus nitrosis, aliquot granis pulveris corticis cascarillae, remixtis.

§. 603.

Tussis sicca saepe molestissima, atque *diarrhoea* moderantur massa pillularum de cynoglossa ad granum unum vel duo, circa somni tempus, in haustu lactis, data.

§. 604.

Oedemata pedum optime discutiuntur, facculis siccis ex furfuribus cum sale communi, vel etiam ex herbis chamomilla, sambuco, absinthio, et similibus, paratis et tepide inpositis. Quae enim

enim adstringentibus tractantur , facile pectoris oppletiones et diarrhoeas relinquunt.

Monita practica.

§. 605.

Medicamenta terrea, si vel cum nitro misceantur , ad moderandam febrem minus sufficiunt, imo saepe noxia deprehenduntur.

§. 606.

Missio sanguinis non nisi, eo in casu, ubi urget plethora, administranda. Nocet in morbi progressu, dum vires vitales subprimit atque acrimoniam humorum, solidarumque partium debilitatem fovet, et auget.

§. 607.

Juscula ex carne parata, nimis nutriunt, atque ideo aestum febrilem, augendo nocent. Profunt magis, quae parantur ex carnibus animalium exsanguium, ut viperarum, testudinum, cancrorum fluviatilium, ostrearum, inprimis si cum herbis et radicibus demulcentibus coquantur.

§. 608.

Cortex peruvianus debito tempore et dosi sufficienti, adhibitus, magnum praestat effectum, tam in praeservanda mixtione sanguinis ab ulteriori dissolutione, quam etiam in corroborandis solidis corporis partibus, et digestionem promovenda.

SVBSECTIO XIV.

DE FEBRIBUS LENTIS NERVOSIS.

Theoria morbi.

§. 609.

Febbris lenta nervosa est febris continua insolitis plerumque, et periculosis symptomatibus stipata quae, succos lymphaticos et nervosos praecipue afficit atque circa diem vigesimum primum et tardius, funesto plerumque eventu, terminatur.

§. 610.

Symptomata, quibus haec febris, se manifestat, hoc ordine accedere solent. Sub initium morbi, aegri de levi vagoque horrore, et intercurrente calore, corporisque totius lassitudine, maxime queruntur. — Mox accedunt, pectoris oppressio, capitis gravedo, vertigo, nausea, et vomitus quo phlegma insipidum rejicitur. — Calor, qui comitatur hanc febrem insignis non est, circa noctem vero cum symptomatibus, reliquis exacerbatur. — Capitis pars posterior, hoc morbi tempore saepe afficitur, torpore vel dolore obtuso et frigoris sensu, cum levi insequente delirio. — Haec omnia per quinque vel sex dies aegrum divexant.

§. 611.

Per hoc tempus, aegroti sunt inquieti et anxii, saepe somnolenti, omni vero somno orbati. — Pulsus est frequens, sed debilis, et inordinatus, saepe intermittens. — Calor et horror sunt incerti, dum volae manuum uruntur, extrema frigescent, dum caput ardet, pedes algent. Urina est pallida, limpida, saepe turbida, ex qua

O
parum

parum vel nihil subsidet. Lingua, tenui muco albicante, obducta, raro sicca et arida.

§. 612.

Circa septimum vel octavum diem, symptomata modo descripta, inprimis, anxietates, languores, et capitis dolor, atque gravedo, incrementum, ita ut aegrotus, saepe animi adficiatur deliquio. — Quando se in lecto erigere vult, mox in fronte, atque dorso manuum, frigidus erumpit sudor, dum interim genae et volae manuum ardent. Urgent quoque, in hoc morbi stadio, sopores, pectoris constrictio, ructus, singultus.

§. 613.

Circa nonum, decimum vel undecimum morbi diem, subito erumpit sudor frigidus profusissimus, in extremis corporis partibus. — Dejectiones mox accedunt, tenuiores, atque colliquativae. — Vires corporis, insigniter et cito exsolvuntur, partes extremae frigidae fiunt, ungue pallidi et lividi; pulsus celerrimus et debilissimus, magis obtremiscit, atque aegrotus sensibus orbatus et stupidus, vix clamore acutissimo excitari potest. — Delirium tunc in coma profundius transit, atque ita citius, tardiusque aegrotus e vivis tollitur.

§. 614.

In fine morbi quoque non raro, maculae lividae, nigrae, saepe vibices, a cruore, diluente lymphâ, orbato, atque crassiori et acriori facto, oriri solent. — Febris lenta, his exanthematibus stipata, ut plurimum contagiosa est, et cum haec sint mali moris, maligna audit.

§. 615.

Quicumque, modo recensita febris nervosae symptomata ponderat, eaque singula sollicitè inter se confert, is facile comprehendit, *causam proximam* eius in lentore et depravatione humorum lymphaticorum atque nervosorum esse positam. — Horum stagnatione in plurimis atque minimis tubulis lymphaticis, concurrente simul fibrarum debilitate, nervorumque torpore, lenta incenditur febris sic dicta nervosa, symptomatibus modo expositis, stipata.

§. 616.

Ad has febres in primis *disponunt*: systema nervorum debile, habitus corporis laxus, et sanguis tenuis.

§. 617.

Iisdem *occasionem* dant: vigiliae diu protractae, studia nimia, defatigationes immoderatae, atque diuturna spirituum dispendia. Porro quoque alimenta cruda insalubria, qualia sunt: cucumeres, melones, crudi fatui fructus et potulenta vappida impura: tandem evacuationes, quaecunque nimiae, ut venus immoderata, salivatio nimia, purgationes crebriores et alia: aëris quoque temperies humida et calida. — Hae causae enim vim partium solidarum, enervando, atque humoribus lentorem inferendo, causam febris hujus proximam, excitant.

§. 617.

Magnam differentiam, rectissime ponunt medici, inter febrem inflammatoriam atque lentam

nervosam. — Illa rapido et forti sanguinis circuitu, decursum suum absolvit, atque cruorem, e vena detractum, exhibet crassum, et quasi corio obductum, sero, vero desitutum; haec vero absque magno adritu et calore, lento modo, procedit, atque lividum et frigescentem dat sanguinem, qui multum feri obscuri habet, et parum crassamenti. Qui historiam febris inflammatoriae, cum historia febris lentae nervosae comparat, is facile differentiam, quae utramque febris speciem intercedit, determinare poterit.

§. 618.

Haud minor quoque differentia observatur, inter febrem putridam malignam et lentam nervosam. Illa sanguinem rubrum proprie afficit, haec vero, humores lymphaticos et nervosos. In illa sanguinis resolutio putredinosa, in summo gradu adest, in hac nulla evidentiæ signa putredinis apparent. Illa a calidis, acribus, salinis, volatilibus et aromaticis alimentis, et medicamentis et ab aere aestuante: haec vero, a frigidis aquosis, glutinosis et mucilaginosi, alimentis, vappidisque potulentis, et ab aëre nebuloso frigido excitatur, et exacerbatur.

§. 619.

Quoad prognosin, potissimum notandum: spem esse salutis, si aegroti per omnem morbi decursum, moderato sudore madescunt, et simul lentor morbosus per glandulas salivales sine aphtis, copiose exantlatur. — Bonum quoque signum, quando cum aurium abscessu finitur surditas, et quan-

quando suppuratur parotis aut pustulae multae circa labia et nares prorumpunt. Salutaris saepe est moderata diarrhoea, quae non raro delirium, et ad coma proclivitatem tollit.

§. 620.

Inter mala signa recensentur: fudores profusiores, deglutitio difficilis, perpetui ructus, pectoris constrictio, singultus. Pessimum morbi eventum, praenunciant: alui deiectiones, urina et lachrymae invite profluentes: diarrhoeae lividae et plumbei coloris: tremor, subsultus tendinum, convulsiones: aphtae nigrae et petechiae fuscae, lividae, atrae, quae summam humorum dissolutionem atque gangraenam lethalem indicant.

Modus sanandi.

§. 621.

Quamvis certa atque stabilita medendi methodus vix possit determinari; ex natura atque indole hujus febris satis tamen manifestum esse reor, eam potissimum absolvi, diaeta roborante, et remediis demulcentibus incidentibus, stimulantibus, et cardiacis. Sequenti proinde modo, curatio instituenda.

§. 622.

Si vires, et pulsus aegroti, detractionem sanguinis, indicant, ea statim sub initium morbi, parcissima manu, perficienda. — Quibus laxa et debilis est constitutio evacuationis hoc genus non

convenit, sed evidenter nocet. — Tutius in his detrahitur sanguis; cucurbitulis scarrificatis, si opus, repetitis, quibus capitis gravedo, pectoris oppressio, atque delirium et coma, in statu morbi, egregie levantur.

§. 623.

Cruore, hoc modo, detracto, si capitis dolor atque vertigo urgent, pone aures, vesicatoria sunt applicanda. Occipiti derafo eadem, ad praecavenda deliria, aliaque mala, optimo cum successu, apposita fuisse, experientia confirmat. Ut oscillatio vasculorum incitetur, atque humores lenti, evacuentur, juvat saepe, ea per omnem morbi decursum in usum vocare.

§. 624.

Post applicata vesicatoria, pituitosa ventriculi saburra, et colluvies biliosa, leni emetico evacuanda F. 1. 2. salutaris haec quidem atque necessaria est evacuatio, ubi nausea, repletio et vitium ventriculi adsint; et majori semper securitate adhibetur, quam evacuatio per inferiora.

§. 625.

Si post vomitum, natura, in alvo deponenda, deficit, rhabarbarina atque mannata tuto adhiberi possunt. F. 4. 5. 6. Omnium vero securissima sunt, clysmata, ex lacte, sale et saccharo parata, tertio quovis die reiteranda.

§. 626.

§. 626.

Cum porro nil utilius in hac febre deprehendatur, quam moderatus et tepidus, sudor, per omnia membra aequaliter, diffusus; ea statim post evacuationes, in subsidium vocanda remedia, quae humores dissolvunt, torpidosque nervos excitant. §. 615.

§. 627.

Humores optime attenuant et diluunt, ptisanæ quaecunque gratae, ut decoctum hordei vel avenae excorticatae, cum pauco vino rhenano, remixtum. — Serum lactis vinosum, decoctum eryngii, et infusio salviae dilutior, eidem indicationi satisfaciunt. Usus vero horum potuum liberior esse debet, ut sufficiens sanguini subministretur latex, et sudor moderatus sustineatur.

§. 628.

Torpidos nervorum motus excitant, leniora diaphoretica alexipharmaca atque sic dicta cardiaca. Huic consilio maxime inserviunt, radix contrayerva, camphora, sal cornu cervi, crocus, castoreum, et similia. Ex his, pro gradu morbi atque symptomatum, varia medicamenta componi et in potibus supra laudatis exhiberi possunt. (F. 75. 76. 77. 81. 93. 98. 99. 100.). Nos vero, calidioribus hisce cardiacis optimo saepe cum successu, usum continuatum vini bonae notae, praeferre, et non nisi eo in casu, ubi hoc minus sufficiat, ad calidiora illa confugere solemus. — Sub usu horum remediorum, rubefacientia et

epispastica fortiora, plantis pedum ad excitandos motus nervorum torpidos, applicari debent.

§. 629.

Si nono, decimo, undecimo, saepe decimo quarto, die, varii generis exanthemata accedunt; ea si sint indolis benignioris, atque morbum aliquo modo mitiorem reddant, potu diluente atque cardiacis lenioribus, tractanda. Si vero fusca, livida et nigra sint, atque ideo sanguinem corruptum et in faniem fere conversum indicent, mox in usum vocanda, acida mineralia et adstringentia F. 52. 53. 78. 79. supra descripta.

§. 630.

In hoc morbi statu multum quoque juvat curationem, si aeger nutriatur jusculis tenuioribus, panatellis, gelatina cornu cervi et de fagu. Vix quoque datur remedium quod tutius et efficacius vires vitales erigit, quam vinum rhenanum et quodcunque aliud austerum sufficienti copia haustum.

§. 631.

Sub morbi finem, putrida, quae per arterias mesaraicas in cavum intestinorum deposita fuit, colluvies, leni alvi purgatione evacuanda. Dieta nutriens atque cardiaca leniora sedulo continuanda, eaque omnia observanda, quae de regimine reconvalescentium supra proposuimus.

Symptomatum medela.

§. 632.

Præcordiorum oppressio, pondus, anxietas, cum difficili respirio, ab organorum vitalium spasmō, orta, remediis nervinis et cardiacis, atque vesicatoriis femoribus et cruribus, applicatis, leniuntur. Si accedant simul tendinum subsultus atque tremores; pulsusque depressus et intermittens; viriumque vitalium summa exsolutio ægrum in vitæ periculo versari, indicent, modicum ad scrupulum dimidium, vel solum vel cum aliis cardiacis mixtum, egregie profuisse novimus. F. 101.

§. 633.

Sudores profusiores, parva sed sæpe repetita dosi, vini rubri generosi atque diluti, moderantur, si versus finem morbi accedunt, viresque corporis exhauriunt, cortex peruvianus et rhabbarbarina interposita, maxime inserviunt. §. 386. No. 3.

§. 634.

Urinae excretio si deficit, optime promovetur, parvis sed repetitis dosibus salis volatilis succini cum pulveribus supra descriptis, exhibendis vel etiam pulvere F. 102.

§. 635.

Diarrhoea, profusior, moderatur, rhabbarbarinis, floribus martialibus auctiori dosi exhibitis, et theriaca ANDROMACHI.

§. 636.

Si *aphthae* adcedunt, profunt gargarismata emollientia et detergentia, ex ficibus, mulso et decocto raparum, nec non linctus supra descriptus F. 94. Si aivus cita et torminosa simul urget, enemata ex lacte, sacharo et sale injicienda.

§. 637.

Strangulatio quae minatur a pituita tenacissima, faucibus, inhaerente avertitur, leni emetico, opportune dato. Expulsa enim sic quidem colluvie glutinosa mox suffocatio, nausea, coma, et alia symptomata cessant.

Monita practica.

§. 638.

Quae circa Venaesectionem sunt observanda, supra indicavimus, §. 622. Caveat quoque sibi medicus, ne praepostere mittat sanguinem, eo in morbi statu, ubi anxietas, atque obpressio pectoris, delirium et spirandi difficultas id indicare videantur. — Haec enim symptomata, non a peripneumonica obstructione vel inflammatione, sed a nervorum orgasmo, excitari, docent pulsus debilis celer tremulus, atque urina aquosa stumpida.

§. 639.

Sudores moderati per omnem morbi decursum, infusis atque lenioribus cardiacis, sunt con-

conservandi, nunquam vero remediis calidioribus volatilibus, extorquendi. — Sudores nimii, violento inprimis modo, expressi, vires vitales exhauriunt, atque subsultus tendinum, syncope et exanthemata pestifera causant. — Tempus exhibendi diaphoretica, determinatur, a mutatione urinae. Si namque urina limpida aquosa, in citrinam mutatur vel obscuriorem colorem acquirit, et simul cutis madida fieri incipit, natura tunc quidem diaphoreticis in hoc suo negotio, juvanda est. Non vero praestantius atque tutius datur remedium diaphoreticum, quam vinum sufficienti copia haustum. Hoc enim spasticas nervorum strictureas, solvit, atque aequabilem per omne corpus calorem restituit, somnumque suavem inducit. Ad mensuram et ultra de die, repetitis haustibus, fuisse exhibitum, adfirmat GILCHRIST. — Si vero nimis torpeat febris, viresque exhaustae sint, fortiora tunc quidem cardiaca pro conditione morbi, in usum vocari possunt. §. 628. —

§ 640.

Sunt, qui *opium*, ad erigendas vires oppresfas, suoque stimulo incitandas, prodesse, contendunt. Cum vero experientia conprobatum habeamus, *opium*, vires animales depressoas, magis deprimere, atque insensibilitatem, torporem anxietatem, somnolentiam, stuporem, dispositionem ad deliria, juvare, ab eo in hujus generis febribus, abstinendum esse, putamus.

§. 641.

Purgantia in principio hujus febris, exhibitae, ut plurimum, languorem corporis, synco-
pen et multa alia mala post se relinquunt, hinc
praeter enemata et leniora rhabarbarina, alia
non concedenda. Majorem utilitatem prae-
stant *emetica* mox a principio data. §. 624.


§. 642.

Cum sudoris repentina suppressio, saepe ri-
gorem convulsivum, inquietudinem et pectoris
oppressionem, causare solet: vitanda sunt lin-
teamina frigida, potus frigidus, et aer frigidus
inprovidè admissus.



Inflam-

INFLAMMATIONES.





CAPVT II.

DE

INFLAMMATIONE IN GENERE.

Theoria Morbi.

§. 643.

Circulum humorum, auctum, quo cruor, in minimis vasculis arteriosis, hujus vel illius corporis humani, partis, haerens, majori inpetu agitatur, omnem inflammationis ideam, absolvere, cuilibet notum est.

§. 644.

Recte proinde definitur inflammatio, quod sit obstructio canalisi arteriosi, cum inpetu valido, liquidi vitalis, locum obstructum a tergo, urgentis.

§. 645.

Febris continuæ gravior accessus, pulsus durus, dolor plus minus acutus, in uno eodemque corporis loco, fixus, persistens, præcipua constituunt signa, quibus præsentibus, inflammationem adesse, judicamus.

§. 646.

Causam proximam, inflammationis veræ, consistere in stagnatione sanguinis, tam in angustissimis arterioliis rubris, quam vicinis, seroso, lymphaticis, observationibus collectis, constat.

§. 647.

§. 647.

Ad causas praedisponentes in primis referuntur: sanguinis abundantia: evacuationes serosae nimiae per sudores et diarrhoeas: sanguis densus, tenax et spissus: acrimonia varia humorum abundans: robur partium solidarum nimis auctum: partis inflammatae laxitas particularis.

§. 648.

Occasionales causas constituunt: motus sanguinis auctus: materia acris in morbis acutis per metastasin, ad certa loca deposita: venena atque drastica medicamenta improvide adhibita: refrigerium post calorem, aut calor post refrigerium corpus. adficiens, et alia.

§. 649.

Conceptus proinde inflammationis in genere habetur, si concipiamus, a causis quibuscunque praegressis §. 647. 648. minima vascula arteriosa obstructa §. 644. a sanguine, vi cordis contra obstructum fortiter moto, atque pressio, distendi valide, hac vero distensione simul fibrillas nerveas, in motus spasmodicos excitari, atque ideo circulum humorum auctiorem fieri. Nascitur dein in toto corpore febris, in parte adfecta vero dolor, calor, pulsatio, tumor.

§. 650.

Inflammatiō, consueta naturae lege, exit in sanitatem, alium morbum, et mortem. In perfectam sanitatem terminatur, si liquidum blandum, in vasis obstructis haerens, mobile red-ditur, ita, ut nullo alio sequuto morbo, functiones partis adfectae ad pristinam redeant integritatem.

tatem. Omnium saluberrima haec inflammationis mutatio vocatur *resolutio*.

§. 651.

Si motu justo vehementiori cruoris, attritus atque pressio in parte obstructa ita augeantur, ut vascula rupta, fluidis dissolutis mixta, subigantur, utraque vero in liquorem album, spissum, laevem et aequalem convertantur: inflammationis hic exitus dicitur *suppuratio*.

§. 652.

Quodsi vero humor stagnans acris, in corpore cachochymico, humoribusque alcalescens repleto, cum vasculis ruptis, in liquorem acrem, ichorosum convertitur, ea tunc oritur partis destructio, quae gangraenae et sphaceli nomine insignitur.

§. 653.

Fieri quoque solet, ut humor in partibus glandulosis stagnans, in coagulum densum et immobile convertatur, partemque adfectam in tumorem durum et indolentem, sub nomine *scirrhi* notum, mutet, nulla arte facile dissolvendum.

§. 654.

Qui de vario hoc exitu, inflammationis, adaequatum vult ferre iudicium, sollicitè debet ponderare, morbi causas, partem adfectam, naturam et temperamentum aegroti, et symptomata morbi. Sic enim facile determinare poterit, quatenam mala sint metuenda, quaeque bona speranda. — Specialia haec signa prognostica, in tractatione morborum inflammatoriorum particularium, exponere, consultius esse duximus. —

In genere hic expedit notare: omnium maxime optabilem esse inflammationis resolutionem, quia haec unica perfecte sanat aegrotum; suppurationem semper periculofam et saepe funestam esse, quia remediis maturantibus et detergentibus, accessus immediatus non datur, atque ideo materia purulenta, sic nata in partibus corporis internis, humoribus circulantibus mixta, novos morbos inflammatorios aut febres lentas hecticas producere valet: gangraenam tandem subitanam, scirrhum vero lentam mortem parere.

§. 655.

Crebra quoque experientia edoctus, quilibet intelligit, omnis generis inflammationes, quae ab acri et corrupto humore, in visceribus internis stagnante, nascuntur, et febribus malignis accedunt, quaeque occupant viscera nobiliora et ad vitam necessaria, funestum ut plurimum habere exitum.

Modus sanandi.

§. 656.

Qui sanationem inflammationis, suscipit, omnem operam mox a principio morbi impendere debet, ut eam quantocyus resolvat. Obtinetur vero haec adeo salutaris resolutio, si materia, in vasis obstructis, immeabilis haerens, naturae et artis auxilio ita resolvitur, vel vasa in quibus haeret, ita disponuntur, ut stagnans, humoribus circulantibus redditum, sine ullo impedimento, per minima corporis vasa transire possit. Hoc enim factò, liber restituitur humorum circulus in universo corpore, functiones
partis

partis adfectae, ad pristinam redeunt integritatem, atque inflammatio resolutione perfecta sanata esse dicitur.

§. 657.

Ut eo facilius, resolutio, obtineatur, mox a principio morbi, omnia ea sedulo sunt observanda quae supra §. 166. 167. 168. circa regimen vitae praecepimus. Victus imprimis seligatur ille, qui constat ex mollissimis cerealibus atque oleribus. Omnium maxime vero in omni inflammatorio morbo, omnis generis animi commotiones vitentur, eaque objecta removeantur, quae aegrum ullo modo animo commovere possunt: his enim motum circulatorium humorum insigniter adcelerari, observatis certissimis constat.

§. 658.

Victu sic ordinato, resolutio inflammationis obtinetur:

- 1.) dum artis auxilio, sanguinis arteriosi irruentis celeritas, atque inpetus versus locum obstructum minuitur.
- 2.) dum liquidum immeabile, in vasculis arteriosis haerens, mobile redditur, atque ita disponitur ut sanguinis circulo redditum, sine impedimento fluere possit per ea vasa, per quae secundum leges sanitatis fluere debet. §. 656.

§. 659.

Inpetus sanguinis arteriosi, in partem obstructam minuitur, si ejus copia minuitur, simulque inpetus ejus versus alia corporis loca dirigitur.

§. 660.

Copia sanguinis minuitur, larga venaesectione, in parte inflammationi proxima, quae si non sufficit, pro conditione et gradu morbi, in parte remotiori, repetenda.

§. 661.

Ad alia loca sanguinis dirigitur inpetus, praecipue frictionibus, rubefacientibus, epispasticis, remediis quoque alvum ducentibus antiphlogisticis, et enematibus similibus.

§. 662.

Sanguinis inpetu sic quidem minuto, in locum adfectum, §. 660. 661. liquido immeabili in vasis arteriosis haerenti, conciliatur fluiditas et lenitas:

- 1.) Potu aquoso ex farinaceis parato: emulsionibus ex seminibus plantarum: succis acidulis ex vegetabili regno desumptis: prae omnibus, nitro, sale polychresto, nitro antimoniato, et similibus.
- 2.) Saponaceis, attenuantibus et resolventibus ut: oxymelle simplici et scillitico, liquore terrae foliatae tartari, et aliis.

§. 663.

Effectus horum remediorum egregie promovetur, si pars, in qua haeret inflammatio, vaporibus ex speciebus emollientibus fomentatur. Fomenta haec possunt parari ex floribus malvae, sambuci, verbasci, chamomillae &c. in lacte coctis, atque aut vesica inclusis, aut sub forma cataplasomatis, applicari.

§. 664.

Quamprimum dolor, atque calor inflammatorius remittunt, simulque reliqua inflammationis resolutae signa apparent; excretio tunc quidem cuticularis, omni modo est promovenda. Sic enim, quae in humoribus adhuc haerent particulae excrementitiae facile expelluntur, atque omnium functionum integritas restituitur. — Promovetur vero haec adeo salutifera per cutim excretio omnium optime, infusis herbaceis ex herbis scordii, melissae, agrimoniae, et radicibus. carlinae, ligni sassafras et similibus, paratis.

§. 665.

Si per signa notescit, inflammationem vergeri in supurationem §. 651. medentis officium postulat, ut liquidum immeabile crudum quantumcunque, emollientibus internis et externis in pus laudabile convertat eique exitum conciliet, et locum adfectum mundet et claudat.

§. 666.


Si vero inflammationi succedit gangraena, §. 652. ea mox adhibenda remedia quae putredinis resorptionem impediunt, ejus progressum ad partes vicinas coercent, et vires debilitatas firmant.

§. 667.

Si tandem inflammationem sequitur scirrhus §. 653. vix ulla spes superest salutis. Si interim ille adhuc est recens, benignus, et loco idoneo situs, neque perfecte durus: emollientibus et resolventibus, medela, tentanda. Inter remedia interna pillulae alterantes PLUMERI et mixtura PLENCKII, forte aliis praeferenda.

§. 668.

Haec de inflammatione, in genere, dicta sufficient. Quod specialem attinet medendi methodum, eam in sectionibus sequentibus, fusius exponere allaborabimus. Hoc adhuc nos quidem monere oportet, hanc modo praescriptam sanandi methodum non esse adhibendam, in inflammationibus ex metastasi in morbis acutis malignis, vel ex defectu virium vitalium ortis. In his enim stimulantia vinosa, cardiaca et nutrientia plus prodesse quam refrigerantia, alvum ducentia, et missio sanguinis, quilibet rei medicae peritus intelligit.



S E C T I O I.

D E P H R E N I T I D E.

Theoria morbi.

§. 669.

Quando, aegrotus, febre acuta continua detentus, perpetuo delirat, eum tunc phrenitide laborare, cognoscimus.

§. 670.

Hanc medici distinguunt, in idiopathicam et symptomaticeam. Illa incipit a caulis cerebro immediate applicatis, haec vero a materia, crisi perversa, per metastasin ad cerebrum delata.

§. 671.

Si itaque absque ullo morbo praegresso, post ingentem capitis dolorem, febris oritur acuta continua, cum delirio perpetuo, phrenitidem veram adesse cognoscitur. Si vero, natis prius,
in

in aliis corporis locis, doloribus inflammatoriis, cum febre acuta, postea vero doloribus his, sine bonis signis, evanescentibus, eadem sequuntur symptomata, symptomaticam adesse phrenitidem, cognoscimus.

§. 672.

Phrenitidem exordientem imprimis haec signa portendunt, nempe, dolor atque calor capitis ingens: vigiliae multae continuae: somnus inquietus et imaginibus turbatus: faciei et oculorum rubedo: rerum praesentium oblivio subitanea: exiguum potus desiderium, respiratio magna et rara: pulsus fortis et durus: alvus suppressa: urina retenta, vel tenuis et alba.

§. 673.

Symptomaticam phrenitidem praesagiunt: morbi quicumque inflammatorii aliarum partium v. c. pleurae, pulmonum, diaphragmatis, si ipsis praeter dicta symptomata §. 672. simul jungantur, lingua nigra, urina retenta sive pallida et decolor, sive cum suspenso nigro, vigiliae, foeces albae.

§. 674.

Utramque phrenitidis speciem, factam atque completam manifestant: ferox plerumque atque perpetuum delirium: oculi mox truces et scintillantantes, acribusque lachrymis et levis perfusi: lingua, arida, aspera, nigra, licet aegrotus, nullo tentetur potus desiderio: indecora in adstantes, violentia: dentium stridor, et saepe cruoris e naribus profusio: floccorum volitantium venatus, atque integumentorum plicatio. Reliqua cum febribus acutis communia habet symptomata.

§. 675.

Ex his omnibus §. 672. 673. sola febris acuta continua, atque delirium, perpetuum et ferox, essentialia phrenitidis constituunt signa, reliqua omnia adesse et abesse possunt.

§. 676.

Iisdem quoque signis §. 675. phrenitidem a mania, aliisque deliriis facile distingui posse, quisque facile intelligit.

§. 677.

In cadaveribus phrenitide defunctorum, meningibus utraque inflammata, suppurata, gangraenosa; ventriculos vero cerebri, atque basin cranii ichore acri, rodente, repleta fuisse reperta, medicorum repetitis observationibus constat.

§. 678.

Ex his igitur §. 677. facile, utriusque phrenitidis, *proxima* elicitur *causa*, vera nempe durae et piaë matris inflammatio.

§. 679.

Ad *causas praedisponentes* pertinent, aetas juvenilis et media: sanguinis abundantia, habitus corporis siccior, vasis rigidioribus et sanguine sicco coacto, praeditus.

§. 680.

Quae vero *occasionem* dare solent, sunt: diuturni atque vehementiores ardores solis: victus lautus aromaticus: potus calidus fermentatus spirituosus: vigiliae diuturnae: adfectus animi vehementes: motus corporis nimius: studia et

curae: veneris abusus: haemorrhagiae consuetae, imprimis narium, haemorrhoidum et catameniorum suppressio: gravior capitis contusio, podagra externis inprovidè curata.

§. 681.

Symptomaticae phrenitidi vero occasionem dant: febrium acutarum perversae medicationes e. g. venaesectio intempestive administrata, remedia calidiora et regimen sudoriferum coactum, sudores quoque suppressi.

§. 682.

Iam ut deveniamus ad prognosin, probe notandum: utramque phrenitidis speciem ad periculosissimos referri morbos, imo cito necare, nisi efficacissimis mox ab initio succurratur remediis. Crebra namque experientia edocti novimus, veram phrenitidem, nisi primis statim diebus id, quod haeret immeabile in vasis cerebri atque meningum, solvatur, aut non rectè coctum ad partes minus nobiles, felici metastasi ducatur, intra quartum et septimum diem, aegrum jugulare: symptomaticam diutius quidem protrahi, periculosiorem vero propterea esse, quod a morbo praecedente, jam exhaustae vires inpediunt, quo minus resolutio tentari queat.

§. 683.

Hanc vero lethalem fore, denuntiant, dyspnoea, facies cadaverosa, sudor syncopticus, lingua et manus tremulae, stridor dentium, stillicidium narium — Si in morbi acuti principio, bulbos oculorum dolor afficit, funestissimum est signum mox enim sequuntur deliria et convulsiones, vera cerebri corruptionis gangraenosae

indicia — Diu protracta et post febrem superstes, saepe transit in lethargum, aut maniam et melancholiam et denique in desipientiam perpetuam.

§. 684.

Ex observationibus interim collectis constat, spem aliquam exitus salutaris facere:

- 1.) Sudores, alvi fluxus, et alias evacuationes copiosas, sub signis coctionis, cum remissione symptomatum accedentes, imprimis largam narium haemorrhagiam.
- 2.) Dolores pectoris artuumque supervenientes, multas aquas ex naribus, ore et auribus. effluentes, tussim vehementem, surditatem.
- 3.) Parotides seu intumescuntiam glandularum post aures sitarum, tumores partium extremarum.

§. 685.

Praeter signa §. 683. extremam quoque perniciem et mortem praesagiunt:

- 1.) Vigiliae continuae, cum furore non interrupto.
- 2.) Sputatio frequens et indecora, in adstantes.
- 3.) Vomitus aeruginosus, dejectio albicans, urina alba, aquosa.
- 4.) Alvi et urinae vel perfecta suppressio, vel involuntaria excretio.
- 5.) Lingua tremula, vox clangosa, extremorum frigus.
- 6.) Praegressa peripneumonia, ileus, variolae, et quilibet morbus malignus.
- 7.) Tremor, rigor, convulsio, singultus, floccorum venatus.

8.) sub-

8.) Subitanea doloris cessatio absque signis coctionis, cum tranquillitate apparente.

Modus sanandi.

§. 686.

Cum in omni inflammatione particulari unica spes salutis in resolutione sit posita: mox ab initio, validissima adhibenda sunt remedia, quae indoles morbi, ususque salutaris prodesse, docuerunt. — Statim igitur, primis morbi diebus magna et subita sanguinis detractio, cruoris inpetuose ad cerebrum delati revulsio, a capite tentanda. Haec fieri potest, in primis initiis ex talo; si morbus jam invaluerit ex mediana, si summum periculum ex jugulari. — Evacuatio haec sanguinis reiterari debet, donec pulsus a duritie remittat, atque respiratio facilior et liberior fiat.

§. 687.

Hanc sanguinis a capite revulsionem egregie juvant: cucurbitulae cum scarrificatione, nuchae, scapulis, suris, et femoribus applicatae: epispastica ex panis fermento, cum sinapi et aceto, plantis pedum apposita: hirudines, haemorrhoidibus tumentibus, admotae: scarrificatio narium interna mediante penna, ad radicem fissa, et in stellae effigiem formata, naribusque intrusa.

§. 688.

Pro hac obtinenda, humorum revulsione a capite, summam quoque spem jam antiquiores medici posuerunt in alvi subductione, remediis laxantibus, antiphlogisticis, et clysmatibus similibus pericienda. Statim igitur post sanguinis
missio-

missionem, exhibeantur potiones supra descriptae F. 5. 6. 7. 8. atque simul lotiones F. 12. 43. 49. 103. saepe in alvum immittantur, ut alvus satis copiose ducatur.

§. 689.

Si his quidem auxiliis §. 686. 687. 688. sanguinis a tergo urgentis inpetus fuerit diminutus, vasa vero encephali obstructa propria contractilitate, haud valeant retropellere globulos stagnantes, id quod ex duratione symptomatum, facile cognoscitur: protinus ea in subsidium vocanda, remedia, quae fluiditatem et lenitatem materiae obstructi conciliant §. 662. circuloque humorum rapidiori, frenum injiciunt. — In hunc finem mane et vesperi pulvis nitrosus F. 38. cum tribus vel quatuor granis camphorae remixtus, die vero noctuque, omni hora unum vel alterum vasculum feri lactis F. 104. vel alius cujuscunque mixturae F. 33. 39. 51. 52. optimo cum successu exhiberi possunt.

§. 690.

Ubi his omnibus recte adhibitis remediis, morbum aliquo modo, mitescere, adeoque resolutionis spem esse, signa docuerint: delirium vero atque vigiliae adeo noxiae, cum capitis dolore, nihilo minus continent: ea sedulo, continuanda sunt remedia, quae vasa partium inferiorum laxant, atque ideo inpetum a capite revellunt. Praeter enemata igitur saepe de die, adhibeantur pediluvia ex aqua tepida, frictiones pedum cum pannis asperis, epispastica, cucurbitulae et interne simul sedulo continentur, remedia acidula, sanguinis orgasmum sedantia.

§. 691.

§. 691.

Si haec remedia §. 690. iusto ordine per aliquot dies continuantur, simulque aegrotus victu blando, quiete et situ corporis erecto, reficitur; vasa encephali distracta, et relaxata facile priorem adquirunt firmitatem, atque ideo causa delirii et vigiliarum simul tollitur. — Quodsi vero vigiliae et deliria nihilominus perdurant, morbusque in diurnitatem excurrit, febre absente tunc quidem opiata F. 58. sufficienti dosi, versus noctem exhibita, atque laxantia interposita, optimum effectum praestitisse experientia confirmat.

§. 692.

Ufus quoque sex rerum nonnaturalium, ad haec bene accommodari debet. — Omnia proinde quae supra §. 166. 167. 168. praecepimus, sedulo sunt observanda. — Inprimis vero curandum, ut aër, in quo versatur aeger, saepe mutetur atque grato corrigatur refrigerio. — Necessè quoque est, ut aeger quotidie per aliquot horas in sedili, vestibis modice tectus, sedeat, neque situ horizontali in lecto decumbat, ne sanguis inpetuose caput urgeat. Lux quoque, strepitus, et omne quod animum commovet, sensusque excitat, ut v. c. picturae removeantur.

§. 693.

Praecipua haec sunt remedia, quae, cognita morbi hujus dirissimi natura, ususque salutaris in resolvenda stasi inflammatoria, profuisse docuerunt. Quae effectum eorundem juvare sunt observata, in monitis practicis notata leguntur. — Si vero per quatuor vel quinque dies, absque signis resolutionis, haec omnia debito ordine fuerunt

§. 697.

Solutionem haemorrhoidum, in capitis morbis, saepe profuisse, observata medicorum testantur. Signa quibus cognoscitur, hanc solutionem fore salutarem, praecipua sunt: si aegrotus antea haemorrhoidibus fuerit obnoxius: si de dolore, rubore et pruritu circa anum, atque de irritato conatu deponendi alvum conqueratur. Haec si se manifestant signa, balneo vaporis, emollientibus, cataplasmatibus, et enematis similibus, vasa haemorrhoidalia laxanda, ut prodeant. In hunc finem quoque suppositoria F. 105. applicanda, et si prodire incipiunt tubercula haemorrhoidalia, iis protinus admovendae hiru-
dines, aut lanceola aperiendae.

§. 698.

Si tempus consuetum, evacuationis menstrualis, instat, et simul dolor lumborum, inguinum, femorum, tensioque nuchae, hanc evacuationem prodituram indicant: ea tunc quidem remediis laxantibus et emollientibus, non vero emenagogis est promovenda. Laxantur vero menstrua, omnium facillime, pediluvii, epispasticis, frictionibus partium inferiorum, nec non vaporibus emollientibus, ad haec loca directis. — Si his adhibitis auxiliis eruptio non sequitur, sectio venae in pedibus institui potest.

§. 699.

Enemata, in morbi principio, omni trihorio, felicissimo cum successu, si ferox urget delirium, injecta fuisse experti loquimur. Ubi vero morbus jam deserbuerit, ab iis abstinendum esse arbitramur, ne vires nimium debilitentur.

§. 700.

§. 700.

Cum plurima spontaneo, eoque largo, narium profluvio, phrenitidis sanatae habeantur exempla in historia medica: summam in hoc genere evacuationis veteres. jam medici posuerunt spem. — Omnia proinde adhibuerunt auxilia, quibus arteriae carotidis rami per nares internas dispersi, ita laxari possint, atque humectari, ut facilius sanguinis inpetui cedant, atque ad haemorrhagiam hanc, adeo salutarem disponantur. — In hunc finem ideo, nares internas saepissime vapore aquae tepidae, in qua decoctae fuerunt herbae emollientes, laxari, et si natura ipsa haemorrhagiam excitare haud valeat, eam calamo stramineo, naribus intruso promoveri curaverunt.

§. 701.

Minuitur quoque resistentia in ramis carotidis externae, inpetusque sanguinis ab internis avertitur, dum externae capitis partes, praecipue nares, aures, et fauces, emollientibus epithematibus, soventur et relaxantur. — Iuvat pro hoc scopo, caput prius per pectinem attondere, huncque per residuos capillos deducere et postea epithemata discutientia F. 106. applicare; os vero et fauces in eundem finem, crebrius gargarismate ex aqua, aceto, et nitro, eluere.

§. 702.

Si sedato febris inpetu, supersint delirium, coma, debilitas ingens, aliaque symptomata, a functionibus cerebri perturbatis orta, omnis generis evacuationes nocent. Profunt praeter victum blandum, nutrientem, quietem corporis, atque situm erectum, saepe naribus admovere

sal anglicum volatile cum aliquot guttulis olei destillati cephalici remixtum, ita enim vascula vi morbi distracta et laxata modice irritantur, sensimque pristinum suum acquirunt robur.

§. 703.

Cum opiata quaevis motum circulatorium humorum accelerent, eundemque versus caput dirigant, facile patet, ea non nisi sedato febris inpetu, et adhibitis prius remediis refrigerantibus, clysmatibus et similibus §. 689. 690. ad reliquias morbi tollendas, in usum esse vocanda.

SECTIO II.

DE OPHTHALMIA.

Theoria morbi.

§. 704.

Inflammationem, quae tunicas, oculorum occupat, nomine Ophthalmiae, insigniri cuilibet notum est.

§. 705.

Varia quidem genera ophthalmiae, a medicae artis scriptoribus recensentur, nos vero tantum de ea agere constituimus, quae febrem inflammatoriam, comitem habent. — Haec vero optime dividitur in *externam* et *internam*. Externa dicitur, quae tunicas oculi externas, conjunctivam nempe, albugineam et corneam, occupat. Interna vero, quae in retina, choroidea et uvea sedem habet.

§. 706.

Signa quae utriusque ophthalmiae, praesentiam manifestant sunt: febris continua; oculi affecti

adfecti dolor, tensio, tumor, ardor et rubedo: oculi mox lachryma fervente inplentur, sequiturque pituita modo parcior, modo uberior: si gravius est malum, vicina quoque loca, ad malas usque attolluntur, circumcirca arteriae vehementer pulsant, ipsaque inflammatio ex oculorum angulis in omnem adhaerentem membranam diffusa est: si dolor est intolerabilis, atque aegroti omnis lucis impatientis, oculis videantur obversari muscae in aëre volitantes pulvisque quilibet obscurus vagari, aliarumque rerum incerta simulacra; internam tunc esse conjunctam externae, ophthalmiam, scire oportet. Solent quoque ophthalmiae internae accedere vigiliae nocturnae, deliria, et multa alia graviora symptomata.

§. 707.

Causa proxima est stasis sanguinis rubri, in vasis arteriosis lateralibus, nata. In ophthalmia externa hoc clare conspicitur ubi vasa sanguifera tenuia, quae per sanitatem in albo fuerant obscura nunc turgent et conspicua redduntur.

§. 708.

Ad causas praedisponentes atque occasionales referuntur: frigus, calor, fumus, quibus oculi offenduntur: haemorrhoides et menstrua subpressa: crapula, venus, vigiliae, lucubrationes cum intemperantia studiorum, crebrior adspectus ignis, solis, alvus adstricta. Porro quoque laesio oculi externa, imprimis per aciora v. c. alcohol, et acetum, quae humores in minimis vasis coagulant: inflammatio meningum cerebri: metastasis ad oculorum tunicas facta.

§. 709.

Quoad prognosin inprimis sequentia anno-
tanda esse putamus, nempe:

- 1.) Si lachryma, pituita et tumor simul inci-
piunt, ita ut lachryma non multum calens
pituitae albae ac molli permista, et tumor le-
vis non tamen perdurus sit, neque dolores
aeque afficiunt vehementer, morbus tutus
et minime diuturnus est.
- 2.) Si lachryma multa et fervida est, paucissi-
maque pituita, tumor tamen exiguus vi-
tiumque in altero oculo est, periculo qui-
dem caret, sed in diuturnitatem excurrit.
- 3.) Quae interiores oculi membranas occupat,
periculosior est ea, quae consistit in exte-
rioribus, et cui non magnus accedat dolor.
- 4.) Difficilior curatu, in pueris ob succorum
lymphaticorum abundantiam, et in senibus
ob humorum impuritatem, quam in iis, qui-
bus bonus corporis habitus est.
- 5.) Suppuratio corneam reddit crassiolem glau-
cam minusque pellucidam, atque hypopium
cum coecitate insequente efficit.
- 6.) Si pertinax cephalaea jungitur aut praee-
dit, saepe lumen amittitur.

Modus sanandi.

§. 710.

In persananda ophthalmia inflammatoria, reso-
lutio, mox efficacissimis remediis tentanda est.
Idcirco, omnium primo:

1. Si adest plethora, motusque sanguinis con-
citator, statim vena in brachio secanda, et
pro

pro ratione febris sanguinis detractio rependa. Solutio arteriae temporalis, et venae jugularis, ab aliis multum laudatur.

- 2.) Solent in eundem finem, optimo cum successu in nucha et pone aures, cucurbitulas cum scarrificatione, et prope angulum internum oculi hirudines, applicare.
- 3.) Sanguinis copia imminuta, mox clysmata et laxantia antiphlogistica repetitis vicibus, adhibenda, et pediluvia bis vel ter de die in usum vocanda.
- 4.) Omni bihorio infusa calida F. 45. 65. et statim inflammatoriam discutientia, haurienda F. 74. 75. etc. et corpus in perspiratione continua servandum.
- 5.) Revulsio juvanda, vesicatoriis et sinapismis, post aures applicandis, sacculis quoque, qui continent semen erucæ, in vino coctis et in nucha vel sub axillis, admotis.

§. 711.

Quoad topica, considerandus est prae omnibus morbi status. In principio, igitur morbi quamdiu tenuis ex oculo, pituita fertur, profunt: mucilagines seminum cydoniorum, psyllii, papaveris; camphora ad aliquot grana cum saccharo trita et pomo cocto calido adjecta: fomenta ex herbis emollientibus, albumen ovi cum aqua rosarum et paxillo aluminis conquisatum: et similia F. 107. 108.

§. 712.

In augmento morbi repellentia efficaciora in usum vocanda qualia sunt, aquae destillatae leniter adstringentes, saccharum saturni, cerussa et similia F. 109. 110. 111. In ipso morbi statu, ubi pi-

tuita jam crassior reddita per somnum oculos veluti glutine oblinat, resolventia repellentibus sunt praeferenda, qualia sunt fofus e floribus sambuci parati et fimilia F. 112. In declinatione morbi roborantia, v. c. vinum rubrum cum foliis rofarum rubrarum decoctum tepide adplicandum.

§. 712.

Morbo superato, caveant fibi aegroti, a frigore, calore, fumo, et pulvere fternutatorio, omnibusque iis, quibus ophthalmiam inductam fuiffe novimus. §. 708. Per aliquot tempus quoque in conclavi obfcuriori verfentur, ne lumine partes adfectae denuo offendantur.

Monita praefica.

§. 713.

Topica repellentia et adstringentia nunquam funt adhibenda, nifi prius in fubfidium vocata fuerint remedia interna resolventia et antiphlogiftica, foli facculi ex paregoricis et demulcentibus, in hoc morbi ftadio, fufficiunt.

§. 713.

In ophthalmia ficca, emollientia et lenientia funt praeferenda, difcutientibus et exficcantibus, quia his facile inflammatio afperior et intenfor redditur.

§. 714.

Occipitis, palpebrarum fcarrificationes atque revellentia et rubeficientia, intra fcapulas, et in nucha, applicata una cum purgantibus antiphlogifticis, mox a principio morbi, adhibita, ulteriori progreflui inflammationis, obicem ponunt.

§. 713.

§. 715.

Ophthalmiae inveteratae sanantur, fetaceis et vesicantibus. Quae a scabie, menstruis et haemorrhoidibus suppressis, ortae sunt, non cedunt nisi, excretiones hae, remediis convenientibus restituantur.

§. 716.

Oculi in ophthalmia nunquam multum delignantur, ne materia acris, hoc modo retenta, tenera vascula arrodant, et ideo gravius reddat malum.

§. 717.

Quae lippitudinem chronicam ex decubitu ferri acrioris ad oculos factam, visum deperditum sive amaurosin, aliaque oculorum vitia diuturna, attinent, de iis fusius agere constituimus infra, ubi in specie de morbis capitis tractandi dabitur occasio.

§. 718.

Inter ea vero auxilia, quae variis oculorum adfectibus opitulari, artis medicae scriptores, testantur, sequentia imprimis notanda sunt:

I.

℞. Flor. Zinc. ℥j.
 Aqu. ros. vel Euphras. ℥v.
 M. D. S. in tunicae conjunctiv. inflammatione incipiente crebrius adplic.
 vel

℞. Aqv. puriss. ℥ij.
 Spirit. Vin. rectificatiss. gutt. XXXX.
 M. D. in eodem usus.

gnam inflammatoriam, posterior mitiorem catarrhalem, comitem habet.

§. 721.

Plures quidem, ab artis medicae scriptoribus, anginae, proferuntur species inter quas praecipuae sunt: suppuratoria, gangraenosa, scirrhusa, pituitosa, oedematosa et nervosa, nempe convulsiva et paralytica. Cum vero priores species ad inflammatoriam et catarrhalem, posteriores, ad morbos systematis nervosi, referri queant, duplicem a nobis propositam anginae speciem §. 720. tantum exponere constituimus.

§. 722.

Cum angina, omnes eas, occupet partes, quae respirationi et deglutitioni perficiendae, dicatae, ab ore ad pulmones et ventriculum usque, inveniuntur: in diversas, easque satis numerosas species, ratione loci adfecti, veteres eam distinguere solent. Haec vero nomina, quae diversis anginae speciebus inponuntur, cum structurae partium non convenient, neque satis sint definita, ea tanquam superflua mittere, satius esse duximus.

§. 723.

Firmiori fundamento, nititur, illa hujus morbi, differentia, qua dividitur in *tumidam* et *non tumidam*. Prior, quam idiopathicam vocant, tumore quodam partium adfectarum se manifestat, minusque periculosa est: posterior vero, sine ullo signo tumoris externi vel interni, ab alio plerumque morbo praegresso, efficitur et difficilior rem admittit medelam.

§. 724.

§. 724.

Ut propria, mali hujus, cognoscatur sedes, ad sequentia imprimis, medicum advertere animum, oportet, nempe:

1. Si absque ullo tumore externo, conspicuo, respiratio libere perficitur, deglutitio vero adeo impedita est, ut adsumta per nares redantur; pharyngem internam inflammari, cognoscimus.
- 2.) Si absque manifesto tumore, respiratio exigua et molestissima cum metu suffocationis atque voce clangosa suppressa, febre inflammatoria, jungitur, atque deglutitio minus impedita est, interiores tracheae partes adfici, patet.
- 3.) Si tandem tumor, rubor et dolor, in interioribus faucium se manifestant, cum febre et laesione deglutitionis et respirationis, partes tunc quidem musculosas externas pharyngis et laryngis, inflammatas esse, certum est.

§. 725.

Anginam inflammatoriam imminuentem portendunt, respiratio et deglutitio impedita, capitis dolor, rigiditas colli, saliva tenax et spumans.

§. 726.

Ejus vero praesentiam manifestant: febris auctior: respiratio et deglutitio difficilior: dolor faucium increfcens: colli et faciei rubor et intumescencia: lingua crassa, arida, nigra, prominens: vox rauca et clangosa: spuma ante os, angustia magna, praecordiorum et hypochondriorum inflatio: debilitas corporis increfcens, et similia.

§. 727.

§. 727.

Causa proxima, anginae inflammatoriae, in genere est omnis ea, quae inflammationem quamcunque, excitare valet, nempe cruoris in partium, ad respirationem et deglutitionem pertinentium, ultimis arteriolis, propulsi, coactio et stagnatio. Eadem quoque observantur causae praedisponentes, quae supra fuerunt indicata.

§. 728.

Occasionem vero anginae inflammatoriae producendae, exhibent: evacuationes naturales subito, suppressae: aer valde calidus, frigidum excipiens: frigidus quoque aer sub vehementi corporis motu, praesertim adverso vento, diu continuato, in fauces irruens: haustus frigidae, corpore calente: conclavia calce, recenter induta, oratoria exercitatio vehemens, cantus, clamor, tubarum et fistularum inflatus: mercurius sublimatus vel aliud venenum: ptyalismus mercurialis, errore diaetae, praesertim potu frigido suppressus: metastasis in febribus exanthematicis, praecipue in variolis et podagra.

§. 729.

Spem salutaris exitus faciunt signa sequentia:

- 1.) Si sanguis naturae inpetu, per nares, haemorrhoides, et menstrua, effertur, vel diarrhoea biliosa et sudores cum levamine, opportuno tempore accedunt, simulque criseos signa apparent.
- 2.) Si inflammatio profundius haerens, ascendit et in partibus externis cum remissione symptomatum augetur.

3.) Si

- 3.) Si dolores in extremitatibus corporis cum faciliori deglutitione et respiratione subsequente oriuntur.

§. 730.

Funestum vero praefagiunt eventum :

- 1.) Si nullus externe conspicitur tumor, deglutitio vero et respiratio, difficillime peraguntur.
- 2.) Si apparens in faucibus tumor, cum augmento symptomatum subito evanescit.
- 3.) Si febris vehementius urget, cum dolore magno.
- 4.) Si urina, fanae similis redditur.
- 5.) Si dolor in faucibus subito evanescens, pulmones occupat, tunc enim *Hippocrate* observante intra dies septem peripneumonia moriuntur, aut si hos evaserint, purulenti fiunt.
- 6.) Si ab impedito sanguinis regressu, per venas jugulares compressas; magnus sequitur totius capitis tumor, cum delirio perpetuo atque stertore.
- 7.) Si vox intercepta clangosa, spuma ante os, lingua sicca et nigra propendens potus per nares rediens; labia coerulea, collum rigidum, inquietudo summa, situs in dorso molestus; visus et auditus imminutus; mortem tunc quidem instare novimus.

§. 731.

Ex iis quae de natura et indole, varioque exitu anginae inflammatoriae breviter dicta fuerunt, satis evidenter apparet, mox a principio validissima esse tentanda remedia, ut subita inflammationis *resolutio* obtineatur.

factis, probe inbuta, collo pluries de die applicantur.

§. 739.

Egregie quoque vascula obstructa relaxant atque, moderate stimulant, vapores tepidi, humidi, molles, assiduo pulmonibus hausti. Prodest in hunc finem, super carbones accensos, aquae bullienti addere herbas et flores emollientes, nervinas cephalicas, atque ita vaporem in cubiculo aegroti excitare, qui per inspirationem attractus, partes adfectas moderate stimulat, eandemque obstructionem expedit. — Eidem scopo satisfaciunt decocta ex emollientibus parata et modica aceti portione remixta, quorum vapor saepe de die per arundinem cavam, ore aperto in fauces attrahi potest. Sollicite vero cavendum ne his tussis excitetur.

§. 740.

Gargarismata quoque discutientia et leniter adstringentia, in malo recenti, maxime profuisse experientia confirmat. Crebrius proinde os eluendum et gargarisandum decocto F. 117. Faucesque linctu F. 118. et decocto F. 114. 119. humidae et lubricae conservandae. Si fauces aridae sint et ardeant, lingua vero tumida et spiratio difficilis; linctus F. 120. et oleum F. 121. optimum levamen adferunt.

§. 741.

Si adhibitis his omnibus internis atque externis remediis, impedimenta haud tolluntur, quae ingressui aeris in pulmones obstant, nil superest quam ut aeri aut paretur alia via in pulmonem, per artem aut ut certae morti tradatur aeger. Illud saepe

saepe cum successu fieri posse, si debito tempore instituat^r bronchotomia, practico^rum observa^ta confirmant. Dum enim sic fistula pulmonalis infra locum adfectum difsecatur, aer tunc libere pulmones per hanc aperturam intrare potest, atque ideo tempus datur ut inflammatio circa laryngem et asperam arteriam haerens sanari possit.

§. 742.

Haec, quae modo, ad sanandam inflammatoriam anginam in faucibus et pharynge cum tumore se manifestantem propolita fuerunt interna atque externa remedia, simili modo tentanda in illa longe periculosiori, imo vix non semper lethali anginae specie, quae absque tumore sensibili, laryngem cum aspera arteria, musculosque ossis hyoidis occupat, quaeque summo dolore et sublimi respiratione, voceque clangosa cum summa mentis anxietate se prodit. — Praeter venae^sectiones repetitas, atque laxantia, frequentesque vaporum ex aceto attractiones, vesicatoria in hoc rerum statu inter scapulas applicari possunt.

§. 743.

Fieri saepe solet, ut aegri hoc morbo adfecti, ne guttulam liquidi deglutire valeant. In hoc misero rerum statu, curandum ut vita sustineatur per enemata nutrientia donec morbi superetur violentia. Profunt in hunc finem pluries de die, juscula carni^um, citri succo acidulata, vel lac aqua dilutum, et decocta tenuiora panis bene fermentati, ano injicere.

§. 744.

Haec de resolutione anginae inflammatoriae, dicta sufficiant. Cum vero anginae hujus species,

R

cies,

cies, consuetum iter inflammationis decurrat, eodemque terminetur modo: facile intelligere datur, eam quoque in pus, gangraenam et scirrhum mutari posse. De vario hoc exitu anginae inflammatoriae, jam pauca subjungere, officii nostri esse putamus.

§. 745.

Si itaque, debito modo, adhibitis remediis resolventibus (§. 732. — 742.) nulla resolutionis appareant signa §. 729. sed symptomata §. 726. potius usque ad quintum vel sextum diem persistant, atque manifeste augeantur; in *suppurationem* tunc abire inflammationem cognoscimus. Eam vero jam factam praecipue indicant, doloris acuti mutatio in obtusum et gravativum, febrisque aliqualis remissio.

§. 746.

His ita apparentibus signis §. 745. omni artis molimine, curandum, ut suppuratio promoveatur, purisque educatio ocyssime juvetur. Maxime igitur prodest, ut aegri, saepe ore continent, gargarisma tepidum ex emollientibus paratum F. 122. totique collo et locis submaxillaribus, cataplasmata ex similibus parata F. 123. continuo admoveant.

§. 747.

Adhibitis sic quidem remediis externis, abscessus plerumque in ore interno sponte sua ruptus, pus bonum fundere solet. Si vero sexto vel septimo die ruptio ejus non sequitur, atque doloris, caloris et febris remissio, gravitasque dolori succedens, pus jam factum atque exitui aptum esse, manifeste docent: tumor tunc quidem

dem eo in loco, qui mollis invenitur, lanceola tecta pertundendus, ut puri exitus detur. Ubi adeo profunde in oesophago haeret tumor, ut pertusio fieri nequeat, abscessus ruptio solo usu continuo remediorum emollientium tentanda est.

§. 748.

Tumor, tonsillas occupans, saepe adeo grandescit mole, ut respiratio, cum suffocationis metu intercipiatur. In hoc casu suppuratio non est expectanda, sed tumor quamvis crudus adhuc, audacter in diversis locis, lanceola pertundendus, ut liquida in tumore contenta, sic exitum nascantur, atque respiratio et deglutitio liberiores fiant.

§. 749.

Rupto abscessu, ad mundificandam partem suppuratam, gargarismata ex speciebus emollientibus et traumaticis subadstringentibus, parata, frequentius adhibenda F. 124. quibus fauces assiduo eluendae usque ad perfectam sanitatem. Neque sub usu horum remediorum, negligenda sunt medicamenta alvum laxantia, his enim efficitur, ut superflui humores versus partes inferiores ducantur.

§. 750.

Si inflammatio neque resolutione neque suppuratione terminatur, vehementissima autem symptomata, dolor imprimis summus et acutissima febris perdurant, atque augentur, inflammationem in gangraenam transire cognoscimus.

§. 751.

Signa, quae docent, anginam tumidam in gangraenam transire, praeter signa generalia,

R 2

prae-

praecipua sunt: si dolor, rubor et tumor, subito absque ullis signis inflammationis resolutae disparent, faucesque subsidentes lividae, fuscae et nigrae fiunt. Idem exitus in gangraenam metuendus in angina non tumida, si summus dolor et febris acutissima per duos tresque dies absque ulla remissione persistentia, subito sine bonis signis cessant, deglutitio atque respiratio, antea difficillimae, liberiores fiunt, neque tamen per metastasin, materiam morbi, ad alia loca transiisse, animadvertitur.

§. 752.

Cum difficile admodum sit, natam in his partibus, putredinem, ejusque progressum ad vicina loca, remediis coercere externis: facile intelligitur, utramque anginae gangraenosae speciem, praesertim illam, quae in larynge et aspera arteria haeret, ut plurimum esse lethalem.

§. 753.

Si interim gangraena, parvam tantum faucium partem occupat, neque magna fuit praegressa inflammatio, sed potius a depositione humoris maligni ad gingivas, linguam palatum et fauces est facta: fieri saepe solet, ut, si statim efficax adhibeatur medela, aegroti pristinae restituantur sanitati.

§. 754.

Ut itaque partes mortuae a vivis, quanto-cyus separentur, maxime proderit, partes lividas, nigras, omni fere hora, linctu F. 125. ope penicilli, illinire, atque decoctum emolliens F. 114. capite in posteriora, reclinato, calidum in ore retinere.

§. 755.

§. 755.

Partes corruptae a sanis, his remediis, separatae, optime auferuntur, si infusum F. 126. caute injicitur et partes dein nudae, decocto emolliente F. 114. foveantur et remedio F. 125. caute illiniuntur. Quamprimum ulcera pura et vivida sunt facta, solum infusum F. 114. vel mel rosarum sufficit.

§. 756.

Nec negligenda sunt remedia interna putredini resistentia, viresque corporis debiles erigenda, inter quae facile eminent cortex peruvianus, forma quaecunque liquida exhibitus F. 79.

§. 757.

Quodsi, medicamenta adstringentia, in malo jam adulto, nec amplius resolubili praepostere adhibita, vel etiam partes jam suppuratae, ante quam detumuerunt, frigido aëri incaute, expositae fuerunt: fieri solet, ut inflammatio, circa tonsillas uvulam, palatum et oesophagum in *scirrhum* abeat, qui mole sua deglutitionem et respirationem laedit, multasque aegro, molestias, creat.

§. 758.

Si malum §. 757. recens est, curatio tentari potest, remediis diluentibus, solventibus et mercurialibus. Si vero jam malum inveteratum, potius intactum relinquendum, ne in cancrum degeneret insanabilem. Unica spes curationis scirrhi jam facti superest, si is haereat in loco, ad quem manibus et instrumentis datur accessus, ut nempe ferro extirpetur. Cum vero extirpatio locum non habeat, nisi tumor, angusta

bas adhaereat, omnis cura adhibenda, ne inflammatio in scirrhum abeat.

§. 759.

Expositis sic quidem iis, quae ad cognitionem et curationem anginae inflammatoriae pertinent, superest ut jam ex instituto agamus de illa anginae specie, quae nobis catarrhalis, aliis pituitosa et aquosa vocatur, et cui inprimis homines laxioris habitus et pituitosis humoribus, abundantes, obnoxii esse solent.

§. 760.

Hanc adesse cognoscimus, quando tumor albus lymphaticus, tonsillas, partesque vicinas, absque febris auctioris concursu, occupat, deglutitionisque et respirationis exercitium impedit.

§. 761.

Differt igitur angina catarrhalis, ab inflammatoria, in eo, quod tumore laxo, molli, pallido, non adeo dolente, cum febre leviori catarrhali se manifestet.

§. 762.

Cum causa proxima anginae catarrhalis, in stasi, laticis, seroso-lymphatici partes faucium glandulosas, occupante, consistat: facile patet, eam ab omnibus iis causis excitari, quae liberum lymphae exitum, in corporibus, laxioris habitus impedire valent.

§. 763.

Ad has causas vero referuntur, omnes illae conditiones, quae perspirationem cuticularem suppressere, atque emissaria glandulosarum partium,

tium, obstruere valent ut sunt: frigus insolitum corpori calenti admissum, inprimis vero finibus meatuum excretoriorum applicatum.

§. 764.

Hanc speciem anginae minus esse periculosa, inflammatoria, atque saepe convenienti regimine, absque usu medicamentorum resolvi, experientia docet. Major imminet discrimen, si circa laryngem haeret tumor aut si adeo magnus sit, ut deglutationem et respirationem difficilem et operosam reddit cum metu suffocationis.

§. 765.

Vera hujus mali curatio exigit, ut tumor quantocyus dissipetur. Medico proinde incumbit, ut stasin lymphaticam, serosam, dissolvat, resolutam postea pituitam, per vias excretorias naturales, alvum inprimis et renes eliminat, atque solidas partes relaxatas, in fine morbi, corroboret.

§. 766.

Humores diluuntur et attenuantur, simulque emissaria a frigore, constricta referantur, si aeger magna copia, sed parvis haustibus, utatur decoctis tepidis F. 21. 47. ex radicibus et lignis aperientibus, similibusque ex farinosis, emollientibus, fructibus horraeis et oleribus, paratis, simulque gargarismata et collutoria ex similibus parata, saepe et diu ore, contineat.

§. 767.

Praeter haec, quoque copiosam, atque per aliquot dies continuatam alvi subductionem, in compescenda hac specie anginae, mire profu-

isse, usus docuit. Idcirco mox ab initio morbi, praeter diluentia, infusa quoque laxantia F. 5. 6. 7. 8. assiduo haurienda ut lenis excitetur diarrhoea, atque ita abundans lymphae copia per haec loca evacuetur.

§. 768.

In eundem finem quoque laudantur, remedia externa, quae lympham e locis adfectis, directe evacuam, praecipue tunc, quando deglutitio laesa: medicamentorum assumptionem impedit. — Prodest itaque in hac rerum conditione:

- 1.) Saepe de die, nares internas, vapore calidae fovere et laxare.
- 2.) Pulverem tenuissimum ex stimulantibus herbis e. g. lavendulae, majoranae pulegii, et similibus, frequenter naribus adtrahere.
- 3.) Essentiam pinpinellae albae, ad guttas decem et ultra, saccharo insitillatam vel similes placentulas F. 127. in ore continere et volvere.
- 4.) Gargarismata roborantia, leniter aromatica et adstringentia, tertia quaque hora, applicare F. 128. 129. 130. et si muco ablato, fauces sint valde sensiles, excoriatae et dolentes, eas gargarismate demulcere F. 122. 131.
- 5.) Cataplasmata, fomenta et emplastra varia, collo applicare F. 123. 132. et si partes nimis relaxatae, sicca fomenta circa os, collum et frictiones aromaticas in usum vocare.
- 6.) Vesicantia denique et sinapismos, collo, nuchae et pone aures, inponere.

§. 769.

Fieri saepe solet, ut tumor pallidus, diutius subsistens in suppurationem vertatur. Quamprimum hic status, ex tactu, dolore incremente, atque

atque vesicula elevata praefens cognoscitur, mox lanceola tumor aperiendus et ita puri exitus conciliandus.

§. 770.

Si quoque uvula nimis relaxata et linguae incumbens respirationem difficilem et operosam reddit, cum metu suffocationis, neque valde inflammata et dolens deprehenditur, tunc quidem frustra si fuerint adhibita gargarismata adstringentia, extremum ejus forcice resecari potest sine damno, ut aggestis humoribus liber concilietur exitus.

§. 771.

Victus instituat, ex solis jusculis carnis vitulinae cum herbis, endiviae, lactuca, chae-rephylo et, similibus paratis. Haec vero non nimia copia sunt haurienda, sed diaeta sicca potius inperanda. Quae porro sunt acria, falsa, et indigestibilia, omni modo vitanda.

Monita practica.

§. 772.

Quamvis, missio sanguinis tempore suppurationis incipientis, instituta, motus, vitales infringat et ideo saepe nociva sit: ab hac regula tamen in ipsa angina suppuratoria quandoque recedere, cogimur, quando nempe tumor ingens, partes vicinas ita comprimit, ut nova excitetur inflammatio. In hoc casu, licet jam formetur abscessus, repetita venaesectione corpus exhaurire juvabit. ← In sufficienti mox ab initio instituta, et pluries repetita venaesectione, omnis spes salutis est posita.

§. 773.

Ne culpa funesti exitus, ab ignaris, operationi §. 741. inputetur, nunquam eam esse tentandam suademus, nisi in consiliis prius adhibitis aliis medicis. Neque etiam sanitatis recuperandae spem certam aegroto esse faciendam, putamus. — Ut vero operatio haec cum aliqua spe fausti eventus instituat, maxime requiritur, ut tumor inflammatorius haereat, in asperae arteriae parte superiori, quo apertura fieri possit intra locum adfectum. Recens quoque morbus esse debet. Si enim jam diu continuaverit, peripneumonia ut plurimum praesens, operationem inutilem reddit. Manifestant vero peripneumoniae praesentiam; pulsus debilis, mollis, intermittens, corporisque extremarum partium frigus. Abstinentum quoque ab hac operatione si adfunt signa gangraenae.

§. 774.

Ubi tumor profundius haerere observatur in oesophago, ejus pertusio cum lanceola ob periculum vulnerandi partes vicinas tentari nequit. Apostema ut plurimum sponte rumpitur, si sedulo applicentur emollientia supra commendata. Lenta abscessus maturatio redditur, dum venaesectione saepius repetita et clysmatibus purgantibus exhauritur corpus.

§. 775.

In angina, quae oritur ab acrimonia caustica, v. c. ab haustis et inspiratis exhalationibus acrioribus metallorum, calcis vivae, et argenti vivi, purgantia et venaesectione locum non habent, sed profunt humectantia interna et externa, et
cly-

clysmata similia. — In cacochymicis et phlegmaticis corporibus, si lenis est inflammatio, scarrificatio Venaesectioni praeferenda.

§. 776.

In omni dolorosa et ardente inflammatione prodest Julepus rosarum, cum nitro et momento camphorae remixtus. — In angina vero latente valde aestuosa, solo lacte et ejus cremore, addito lapide prunellae et syrupo papaveris rhoeados, os colluendum et frequentius bibendum serum lactis.

§. 777.

Cum partes adfectae in angina inflammatoria valde sensibiles sint, ab injectione per syphonem abstinendum, ne stimulo sic facto, inflammatio augeatur. Convenit magis decoctis supra descriptis saepe os colluere, et partes adfectas assiduo fovere.

§. 778.

Inter remedia *expertae virtutis* ab autoribus sequentia laudantur.

1.

Segmenta panni lanei, oleo et spiritu cornu cervi, inbuta, quibus mox ab initio omni quadrihorio, collo adplicatis, saepe stasin inflammatoriam fuisse discussam experientia confirmat.

2.

In omni dolorosa et ardente faucium inflammatione cum respirationis et deglutionis difficultate praeter Julapium §. 776. HOFFMANNUS laudat.

R. Alb.

℞. Alb. ov. in aqu. conquass. ℥ij.

Aqu. rosar. ℥i.

fyr. granator.

diamor. ana ℥℞.

sal. prunell. gr. XII.

Liqu. anod. min. gutt. XII.

M. D. Et simul collum oleo F. 121. inungendum jubet.

3.

In anginosa oesophagi inflammatione, febribus malignis superveniente:

℞. Nitr. depurat. ℥i.

camphorat. gran. iij.

sacchar. ℥i.

D. S. Cum emulsione amygdalina success. exhibend. et in ore aliquamdiu tenend.

4.

Ubi magna serosi laticis impuri, copia ad palatum et fauces accumulata haeret, praeter laxantia, sequens gargarisma laudatur:

℞. Crem. Tartar.

Nitr. depurat. ℥i.

Alum. ust. ℥℞.

Solv. in acet. destill. et solutio coaguletur.
D. S. sal pharyngaeum.

℞. Salis pharyng. ℥i.

mell. ℥ij.

Aqu. plantag. ℥v.

S. D. S. Den Hals damit auszuspielen und gelinde einzuspißen.

5.

Ad salivam copiosissime educendam sequentem pulverem commendat HARRIS:

℞. cry-

R̄. Cryſtall. mineral.

ſacch. cryſtallifat. ana q. ſ.

M. Teneatur in ore ꝑ̄i, donec ſaliva abundaverit tunc exſpuatur, et omni dimidia hora repetatur.

6.

R̄. Salis polychr. ꝑ̄i.

mell. roſarum ꝑ̄iſſ.

Unguent. Aegyptiac. ꝑ̄iſſ.

M. D.

Hoc remedio, caro fungoſa conſumitur et ulcera ſordida munda fiunt.

§. 779.

Datur quoque ſpecies anginae, quae dicitur maligna, quaeque hoc anno quarto vel quinto morbi die, pluribus infantibus, lethalis fuit. Accedebat, hic morbus cum tumore parotidum, aeſtuque febrili cum horrore alternante. Oris interiora intenſe rubra erant atque tumida ſine dolore tamen, et deglutitionis vel reſpirationis difficultate. Mox altero morbi die ſe manifeſtabant circa fauces maculae albae, accedebat in nonnullis larga narium haemorrhagia, in aliis, vomitus et diarrhoea. In quibus nulla ex his evacuationibus contingebat, minus periculose aegrotabant. Nitroſa, emetica, purgantia, venaeſectio malum manifeſte augebant. Tertio morbi die, maculae in faucibus obſcuriorem adquirebant colorem, et brevi ulcera parva ſub his deliteſcentia in conſpectum veniebant. Sub hoc rerum ſtatu, pulſus erat depreſſus, et celer, reſpiratio et deglutitio vero parum inpeditae. Quarto morbi die, accedebant, magna virium exſolutio, deliria, ulcera faucium ſordida, nigra,

gra, ichorem foetidum acrem plorantia, comata, et aeger suffocatus, subito moriebatur. Familiaris tantum fuit hic morbus infantibus, eosque adeo contagio suo infestabat, qui e locis dissitis ubi nulla morbi erat suspicio, in domum se conferbant, in qua aegri hoc morbo erant defuncti.

§. 780.

In sanando hoc morbo, omnis generis evacuationes aperte nocuisse, experientia edocti novimus. Optimo cum successu, a nobis sequens medendi methodus fuit adhibita. Mox a principio, saepe de die, vapores calidos decocti antiseptici cujusdam ope infundibuli, ore adtrahi curavimus. Formula haec nobis fuit familiaris:

℞. Herb. salv.
 flor. rosar. rubr. ana Manip. dimid.
 Infund. in aqua fervent. Unc. X.
 Colat. adde.
 spirit. MINDER.
 Tinct. myrrh. ana ℥i.
 mell. opt. ℥℞.
 M. D.

Eadem mixtura quoque inserviebat pro injectione et gargarismate. Quamprimum cuticula separata ulcerosa corruptio faucium apparebat, huic mixturae mellis aegyptiaci aliquot drachmae additae fuerunt. Haec nobis sufficiebant ad ulcera sordida detergenda et mundificanda, eorundemque progressum ulteriorem praepediendum.

§. 781.

Quoad interna, haec conprobata habemus nempe: mox a principio, vomitus, iusulo florum

rum chamomillae; et diarrhoea, cortice casca-
rillae, moderanda. Si post viginti quatuor ho-
ras his remediis haud cedant evacuationes, pri-
mo cardiaca e.g. aqua menthae spirituosa, vinum
croceum, et pulvis contrayervae F. 98. et si haec
minus sufficiant diafscordium F. 58. 67. in usum
vocanda. Omnis reliqua curatio absolvitur, re-
mediis, quae vires corporis erigere, putredini-
que resistere experientia docuit. Horum prae-
cipua sunt, myrrha, crocus, cortex peruvianus,
vinum, et spiritus MINDERERI bene saturatus.
Praeter remedia supra commendata F. 78. 79. 80. 81.
nobis familiaris fuit decoctum myrrhae satura-
tum, cujus drachmas duas omni bihorio, de-
cocto hordei, dilutas, deglutiendas, exhibuimus.
Vesicatoria mox a principio, collo et nuchae,
apposita, interdum profuisse, meminimus. Circa
morbi finem, rhabarbarina, cortice peruviano
interposito, per plures dies, ad avertendam re-
cidivam, continuare necesse fuit. Caveat sibi
aegrotus ne salivam, praesente adhuc morbo
deglutiat, neque comedat, nisi os prius fuerit
collutum.

SECTIO IV.

DE PERIPNEUMONIA VERA.

Theoria morbi.

§. 782.

Si inflammatoriae pulmonum obstructioni, jun-
gitur febris acuta continua, hominem peri-
pneumonia laborare cuilibet notum est.

§. 783.

Quae peripneumonia, ex sanguine inflammatorio spisso, et in angustis arteriarum, immeabili haerente, originem habet, dicitur *vera*: quae vero a lenta nascitur pituita, pulmones infarci-ente, vocatur *spuria* sive *notha*. De priori, primo nobis dicendum.

§. 784.

Si morbus a stagnatione sanguinis in vasis pulmonalibus, incipit, *idiopathicus*, si vero a materia, in alio morbo ad pulmones per metastasin, delata, nascitur, *symptomatica* vocatur.

§. 785.

Peripneumoniam veram adesse, haec signa docent: nempe, horror saepe cum nausea, et vomitu; calor succedens insignis, cum siti, capitisque dolore; spiritus difficilis frequens, calidus; praecordiorum, pectorisque totius gravitas, cum dolore gravativo, obtuso, non admodum valido, saepe vero, si ab inflammato pulmone distrahitur pleura, acuto, punctorio; faciei rubor, venarum tumor, laeve saepe delirium; tussis vel sicca vel humida cruenta: pulsus celer, in principio durus, in progressu, malo aegri omine, mollis, saepe intermittens et intercurrens: decubitus ad dorsum facilius, quam in latus: lingua sicca, aspera, et si gravius malum est, nigra et fissa: urina primis diebus rubicunda saturata post aliquot dies turbida cum sedimento copioso subroseo, reliqua.

§. 786.

Ex his §. 785. breve et difficile respirium, pectoris pondus, tussis, et febris acuta continua, verae

verae peripneumoniae signa pathognomonica constituunt.

§. 787.

Cum anatome doceat, duo diversa arteriarum genera, in pulmonibus existere, duo quoque distinctae inflammationum species locum habere possunt, quarum una haerebit in finibus arteriae pulmonalis, altera in extremitatibus arteriae bronchialis. Prior ob majorem trunci amplitudinem et ramorum multitudinem, periculosior altera, cujus diameter vix quinquagesimam partem diametri arteriae pulmonalis, adaequat.

§. 788.

Ut autem sciat, medicus, quae proprie partes, pulmonum, inflammatoria obstructione laborant, ad sequentia signa, sub morbi ingressum obvia bene attendat:

- 1.) Dolor, parvum et fixum, in uno latere, locum occupans, febris non valde acuta pulsus plenus et regularis, inspiratio non adeo laboriosa, manifeste docent, obstructionem inflammatoriam, non in toto pulmonalis arteriae trunco, sed in ejus ramo quodam, vel etiam in arteria bronchiali haerere, eamque non adeo esse periculosam, nisi vitae regimine perverso aut incongrua medendi methodo, inflammatio adaugeatur.
- 2.) Vehementissimus, et subito invadens, aestus febrilis, post praegressam horripilationem, dolor totum latus ab hypochondrio ad claviculam usque, occupans, respiratio difficilis parva, frequens, tussiculosa; pulsus parvus, depressus et inaequalis, facies

rubra, indicant, integros unius lateris pulmonum lobos esse inflammatos.

- 3.) Si phaenomena haec in utroque latere apparent, atque simul respiratio laboriosissima, pulsus exilis, mollis, et interruptus, mentisque alienatio, cum angustia et suffocationis metu, se manifestant; utriusque lateris pulmones inflammatoria labe esse obfessos, facile intelligitur. Hoc inflammationis genus vix non semper citam et insuperabilem mortem, creert.

§. 789.

Ex definitione morbi §. 782. patet, *causam proximam* peripneumoniae verae consistere in obstructione vasorum arteriosorum, quibus pulmones constare, indicavimus §. 787.

§. 790.

Ad hanc statim inflammatoriam disponunt: sanguis abundans et densus, solida fortiora et rigida, victus durus, spirituosorum abusus, pectus in statu naturali angustum et minus dilatabile.

§. 791.

Causae occasionales praecipue observantur: violentior pulmonum et thoracis in calido, praesertim vero frigido et sicco aeris statu, agitatio. Aer enim frigidus et siccus, habitum corporis externum constringit, poros cutaneos claudit, et ideo sanguinis majorem copiam versus partes internas praecipue versus pulmones pellit, et simili modo exhalationes pulmonum impedit. — Praeter hanc aeris conditionem, qua solida corporis magis firma et elastica redduntur, atque massa humorum, compactior facta, solido majori copia

pia in pulmones inpellitur, quoque peripneumoniae occasionem dant, vehementiores animi affectus, evacuationes consuetae subito, suppressae, et metastasis materiae morbosae ad pectus.

§. 792.

Ut jam ad prognosin deveniamus, sequentia in genere, notanda esse arbitramur, nempe:

- 1.) Omnis peripneumonia, quia viscus ad vitam sustinendam absolute, necessarium adficit, periculosa est. Periculosior vero est illa, quae haeret in finibus arteriae pulmonalis, quam ea quae vasa occupat bronchialia. Minus quoque periculosa deprehenditur, si in uno aut altero arteriae pulmonalis ramo, sedem habet, quam si integros unius lateris lobos adficit. Citam mortem adfert inflammatoria obstructio, utriusque lateris pulmonum.
- 2.) Felix morbi successus sperari potest, si ante quartum diem, sputa copiosa bene cocta, cruenta, prodeunt, vel etiam urinae cum multo sedimento redduntur, et diarrhoeae mucosae cum striis sanguineis adcedunt.
- 3.) Deterior morbi eventus timetur, si insignis floridi et spumantis sanguinis, copia, vel etiam materia tenuis glutinosa, obscuri coloris, excreatur. — Illud rupturam quorundam vasorum, hoc statum sanguinis putridum dissolutum, indicat. Mali ominis quoque est si nulla excretionum No. 2. succedit, et simul symptomata febrilia crescunt. Resolutionem sub his conditionibus non esse expectandam, sed potius transitum

in suppurationem aut corruptionem gangraenosam timendam, facile patet.

- 4.) Pessimum et ut plurimum lethalem eventum, potissimum haec signa praenunciant: si nempe totus inflammatur pulmo, atque febris et spirandi difficultas usque ad sextum diem continuo increfcunt: si urina ab initio cocta, post quartum tenuis; si prae difficultate spirandi, erectus sedere cogitur aegrotus: si ex febre ardente orta est inflammatio, huicque junguntur deliria: si tussis sicca urget cum strepore pectoris: si maculae rubrae in summa cute efflorescunt: si sputa valde cruenta vel fusca, coenosa, nigra prodeunt, si tandem extrema frigent, pulsus deficit, caput vero et pectus rubent.
- 5.) Quae reliqua ad formandam hujus morbi prognosin, faciunt, pro diversitate exitus inflammationis plurimum variant, atque in sequentibus singulatim consideranda.

Modus Sanandi.

§. 793.

Cum varii sint modi, quibus peripneumonia in sanitatem terminatur: methodus medendi, pro diverso morbi statu instituenda est. In genere vero intentio medici eo est dirigenda, ut mox ab initio, stasis sanguinis inflammatoria resolvatur quo vel resolutione benigna, vel evacuatione sensibili per varia corporis colatoria sanatio perfici possit. Salutaris vero hic morbus exitus sperandus, si habitus corporis laxus, humor blandus, nec nimium viscosus, pars vero adfecta bronchialis vel pulmonalis non magna.

§. 794.

Si itaque peripneumonia, in corpore vegeto, plethorico, fibrisque rigidioribus, instructo, per sua signa §. 786. se manifestat: vena illico solvenda, eaque sanguinis copia educenda, quam gradus mali, temperamentum, vitaeque genus consuetum permittit. Si post primam sanguinis emissionem, satis largam, symptomata febrilia, aequali severitate continuant vel augentur, post octo vel decem horas, imo citius sanguis denuo detrahendus, hocque repetendum, donec oppressio, anxietas, et spirandi difficultas, aliquo modo remittant. Quae in specie modum venam secandi, determinant, in monitis practicis, fusius declarabuntur.

§. 795.

Ne crassa excrementa, atque flatus, quae in intestinis haerent, inferiorem aortae partem et superiorem iliacarum, comprimendo, sanguinis congestionem atque ideo inflammationem in pulmonibus augeant; mox ab initio morbi, bis vel ter alvus, enemate, ex decocto florum malvae cum melle parato, eluenda. F. 43. 49.

§. 796.

His §. 794. 795. peractis ea sedulo tunc sunt adhibenda remedia, quae viscosum inflammatorium resolvere, universam massam humorum diluere, atque canales mobiles et laxas reddere valent.

§. 797.

Huic consilio, maxime inferviunt, decocta hordei, avenae, vel florum sambuci, cum nitro et oxymelle parata. F. 39. 40. 44. 85. quorum un-

ciae duae, omni quadrante vel dimidia hora, calide hauriri possunt. — Ne vero usu continuato, palato ingrata fiant, haec remedia; horum loco, omni bihorio, vasculum emulsionis F. 61. exhiberi potest. — Lactis ferum F. 104. lac, aqua dilutum, decoctum panis F. 62. et similia, pro eodem scopo, calide propinare convenit.

§. 798.

Ut vasa pulmonum laxiora reddita, facilius transmittant, humores inpaetos, partesque a pectore remotiores, flaccidiores factae, majorem retineant humorum copiam; pulmonibus atque partibus remotioribus sedulo applicanda sunt balnea vaporis. Huic indicationi inprimis satisfaciunt, muccinia, decocto emolliente tepido, madida, assiduo naribus supposita; pediluvia tepida, panni lanei aqua tepida inbuti, abdomini inpositi, et aer, quem spirat aeger, simili halitu tepido et humido, repletus.

§. 799.

Si, aestus febrilis, in hoc primo morbi statu, nimium excedit, praeter auxilia modo laudata §. 794. — 798. simul in subsidium vocanda subacida F. 33. 52. 83. 115. atque enemata emollientia reiteranda.

§. 800.

Quoad victum, vires optime conservantur, decoctis, oryzae, hordei, avenae, panis et similibus, donec facta sit inflammationis resolutio.

§. 801.

Quando, haec omnia, usque ad quartum morbi diem, continuantur, sollicitè simul est obser-

fervandum , an causa febris materialis , subacta et mobilis reddita , vel perspiratione insensibili , vel etiam evacuatione aliqua sensibili , cum levamine symptomatum , exire incipiat. — In statu primo , diluentia , sufficienti copia hausta , et enemata similia , crebrius applicata , omne punctum curationis absolvunt. In statu altero , praeter diluentia , probe attendendum , per quas vias , natura excretionem molitur , quo animadverso , omni modo , in perficiendo negotio juvanda natura.

§. 802.

Si itaque animadvertitur , sub initium morbi , cum levamine symptomatum in materiam inflammatoriam , in vasis arteriosis pulmonalibus , haerentem , exire per sputa crassa , copiosa , flava , striis sanguineis mixta , in alba , blanda , cito mutata ; tunc quidem praeter victum mollem , viresque sustentem , atque balnea vaporis calidae , haec excretio omni modo est promovenda. F. 44. 133. 134. remediis expectorantibus. Vitanda tunc quidem venaesectio , purgatio , sudoris expulsio et alia , quae salutare hoc excretionis negotium turbare valent.

§. 803.

Si vero natura excretionem materiae peccantis , per alvi fluxum , cum levamine symptomatum , moliri advertitur , praeter remedia modo laudata §. 797. aquosa , nitrosa , farinosa , mellita ; simul ea in subsidium vocanda , quae vias , per quas , materia transire debet , lubricas reddunt et relaxant. Huic consilio vero maxime inserviunt :

- 1.) enemata lenissima lubricantia , ex decocto hordei , cum syrupo altheae aut lacte mellito , parata , crebrius injicienda.

- 2.) Fomenta ex decocto herbarum emollientium parata, pannis laneis excepta et abdomini calide applicata, ea tamen cum cautela, ne diutius relicta, refrigescant.
- 3.) Decocta quaecunque lubricantia ex emollientibus cum melle parata, sufficienti copia hausta, vitando simul, quae acriori stimulo, alvum movere possunt.

§. 804.

Fieri quoque solet, ut materia morbosa, soluta, et mobilis reddita, a natura, per urinae vias evacuetur. Quamprimum itaque aegrotus, urinam copiosam crassam, stranguriosam, cum levamine in pectore, reddit, similia sunt continuanda §. 802. 803. praecipue vero,

- 1.) fomenta calida sedulo, regioni renum applicanda, clysmata similia injicienda et pediluvia tepida adhibenda.
- 2.) decocta quae leni stimulo diuretico gaudent, sufficienti copia haurienda. F. 135.

§. 805.

Si nulla ex his signis, resolutionis, ante quartum diem apparent, sed potius febris et reliqua symptomata, eadem severitate, continuant, pulsusque fit mollior; scire tunc quidem licet, inflammationem vergere in suppurationem.

§. 806.

Hanc §. 805. fieri cognoscimus, quando dolor pectoris, eadem manente spirandi difficultate, remittit, vagae horripilationes contingunt, genae rubent, litisque et febricula, cum pulsu debili et molli adsunt. Factam jam eam esse, praeter

ter haec signa manifestant, tussis sicca, ad partem et motum corporis, aucta, respiratio, simul sub motu quocunque corporis, parva, difficilis et anhelosa: decubitus in latum adfectum tolerabilior: macies et debilitas quotidie auctiores.

§. 807.

In hoc morbi statu, omnis cura adhibenda, ut maturatio acceleretur, atque pus factum citissime educatur. Idcirco.

- 1.) Ne maturatio retardetur, viresque vitales infringantur, venaesectio vel ommittenda, vel si febris inpetuosa, pectorisque oppressio et alia symptomata, eam indicant, ea tantum copia administranda, quae justo moderamini febris et reliquorum symptomatum fatis est.
- 2.) Alimenta ingerantur talia, quae chylum, emolliente et maturante virtute, praeditum exhibent ut sunt: fructus horraei bene maturi vel crudi, vel aqua cocti et melle dulcificati: folia endiviae, lactucae, pastinacae, spinachiae: amygdalae dulces, avena, hordeum, oriza, triticum, aliaque olera mollissima et farinosa mollia ex quibus decocta, cremor, et pulmenta varia, fieri possunt.
- 3.) Praeter cataplasmata ex emollientibus parata, loco suppurando, externe applicanda; vapores aquae calentis, modo supra descripto §. 798. ad pulmones, crebrius, admittantur, ut quantocyus pulmonum superficies emolliatur, et puri exitus facilius concilietur.
- 4.) Si tandem materiam inflammatoriam in pus coctum et bonum, conversam esse, ex

signis pateat §. 806. iisdem remediis jungantur talia, quae tussim excitant, atque ita abscessus rupturam accelerant. Inserviunt pro hoc scopo, oxymell scilliticum, vel solum vel decocto emolliente dilutum et similia F. 136.

§. 808.

Si his omnibus §. 807. per duas aut tres septimanas, sedulo adhibitis remediis nulla per sputa apparet evacuatio, signa tamen pulmonis suppurati adsunt §. 806. facile tunc quidem colligitur pus collectum haerere, in ipsa pulmonum substantia magno sacco inclusum, quod, inpetu, cum suffocationis periculo, vel in asperam arteriam vel in cavum pectoris se exonerare solet. Quae ruptura, licet ob confertam effusionem puris, funesta ut plurimum sit, indicatio tamen est, ut illa promoveatur, ne pus diu retentum mora, et calore acrius factum, latera vomicae rodant, et sanationem si qua superest, difficiliorem reddat.

§. 809.

Ruptura vomicae, in pulmonibus haerentis acceleratur:

- 1.) dum alimenta mollia, pingua, ea ingerantur copia, ut ventriculus plenus et turgidus, diaphragma sursum premat, pulmonesque aliquo modo, comprimat, et ut chylus copiosior ex his alimentis, paratus, pulmonem gravet.
- 2.) dum pulmones tussi, vapore aceti calidi, excitata, clamore, risu et unctione in rheda per strata lapidea, velocius agitantur.

§. 810.

§. 810.

Ex sputis purulentis cum levamine pectoris, prodeuntibus, cognoscitur, apostema pulmonis esse ruptum atque se in tracheam evacuare. In hac morbi conditione igitur curandum ut cavum, in quo pus erat inclusum, ad vulneris puri conditionem reducatur, quo dein latera ejus accrescere possint. Idcirco:

- 1.) Omnium primo vitentur omnia ea alimenta, quae dant chylum acriorem, pulmones irritantem. Prodest lac, sub cibi vel potus titulo, sumtum, vel solum vel etiam cum decocto orizae, hordei, avenae, mistum. Olera quoque mollissima, ut endivia lactuca, spinachia, jusculis carni animalium, quae vegetabilibus vivunt, incocta. Haec parca copia, sed vicibus repetitis exhibeantur, ne pulmo nimia chyli copia gravetur.
- 2.) Omni bihorio diei, unciae duae decocti cujusdam aperientis atque detergentis F. 137. exhibeantur, mane et vesperi vero pulvis F. 138. ante usum decocti sumatur. Quamprimum sputa, cum levamine symptomatum, minui, incipiunt, leniora consolidantia substitui possunt. F. 139.
- 3.) Si, contra, sputa retenta ob tenacitatem suam, pulmones obruere et gravare animadvertuntur, loco remediorum consolidantium, vapores emollientes, ex decocto florum sambuci, malvae, mercurialis, et similibus, crebrius cum aere in pulmones adducendi, ut sic pulmo, expectoratione faciliori, liberior fiat.

4.) Quod-

aucta, absque signis vomicae latentis, diu aegrum infestat, inde cognoscitur materiam stagnantem, cum vasis pulmonalibus, in tumorem scirrhosum ut plurimum insanabilem, concrevisse. Omne quod ars nostra valet, consistit in eo, ut statim a principio mali, sapo venetus, magna copia, cum succo graminis, lactisque sero diu continuetur, et pulmo saepe, in aere sereno, moderata equitatione aut vactione in rheda concutiatur.

§. 815.

Si tandem ex vehementissima pulmonum, praegressa inflammatione, summa pulsuum debilitate, extremorum frigore, et sputis ichorosis, lividis, foetidis, gangraena futura et praesens cognoscitur, nullam tunc esse spem salutis sed citam instare mortem, experientia confirmat.

Monita practica.

§. 816.

Quamvis missio sanguinis, inter efficacissima, pro curandis, omnis generis inflammationibus, referatur, remedia, eam tamen non in omni peripneumoniae statu, neque eadem semper copia esse administrandam, experientia confirmat. Sequentes proinde regulae bene sunt observandae:

- 1.) Si peripneumonia, recens, magna, corpus plethoricum robustum, adgreditur, mox ab initio aestus febrilis, sanguis ea copia detrahatur, donec liberior respiratio, pulmonem levare, doceat. — Determinatur quoque haec copia cruoris detrahendi, a violentia et duratione horroris et rigoris praegressi. — Quo enim major in accessu est rigor, eo violentior

lentior sequitur febris, eoque viscidior sanguinis est status.

- 2.) Cum missio sanguinis, ad deliquium animi instituta, saepe periculum suffocationis inferat: tutius erit, si symptomata auctiora id ita indicaverint, eam repetere quam una vice, in nimia copia celebrare.
- 3.) Sanguinis copia nimia, saepe in principio morbi, est causa subitaneae virium prostrationis, pulsusque obscuri, oppressi, inordinati, et tardi. — Caveant sibi in hac rerum conditione, medici juniores, ne haec, et similia symptomata, pro effectu inopiae sanguinis habeant, et ideo sectionem venae superfluam imo noxiam declarent. — Nisi enim in hoc morbi statu, tanta mature detrahatur sanguinis copia, quanta sufficit ut restituantur libera actio solidorum in fluida: brevi, ob justae circulationis atque secretionum defectum, sequitur inopia spirituum, suffocatio et mors. — Pectoris oppressio, aestus circa praecordia insignis, et spirandi difficultas, sectionem venae, in hoc statu morbi, manifeste indicant.
- 4.) Ob easdem rationes mox larga tentanda sanguinis missio, in violentioris peripneumoniae specie §. 788. No. 3. licet pulsus debilis et tremens, summa debilitas, frigus partium extremarum, stupor et delirium eam interdicerere videantur. — Insignis quoque floridi et spumantis sanguinis copia, tussi excreta, reiterandam venae solutionem indicant.
- 5.) Nulla vel saltem parca manu sanguinis missio, est administranda: si peripneumonia ex aliis

aliis morbis orta, vel jam diu duravit, et ideo pulsus parvus celer et intermittens, fractas jam esse vires indicat: si sputa cocta sanguine leviter tincta, cum levamine prodeunt; si sanguis e vena detractus est laxus, dissolutus et pulsus simul remittens et tremens: si inflammatio post quintum vel sextum diem jam suppurare incipit nec indicia novae inflammationis apparent: si sanguis pleno flumine ex orificio satis amplo, effluens, nulla crusta obtegitur tenaci.

§. 817.

Si a frigore subito, admissio, porro quoque a regimine nimis calido, remediisque sudoriferis et purgantibus, aliisque similibus causis, sputa salutaria jam expurgari coepta, supprimuntur, atque novam inflammationem, priori pejorem minantur: mox vapores calidi humidi, ore et pulmonibus assiduo hauriendi §. 798. — Prodest in hunc finem, species emollientes vel hordeum tostum germinans, in ahenis vel olla coquere, ut aer cubiculi, in quo decumbit aegrotus, vaporibus repleatur, et simul observare quae dicta fuerunt §. 302.

§. 818.

Nitrum, quamvis magnam habeat efficaciam, in morbis inflammatoriis, in peripneumonia tamen, refracta dosi exhibendum, ne stimulo suo noceat. Plus nocent quam profunt remedia sic dicta balsamica, quorum frequens quibusdam est usus in hectica pulmonali, ut sunt: terebinthinum, balsamus de Peru, et de Mecca, mastix, myrrha, storax, balsamum sulphuris, et alia mul-

ta. Haec enim sanguinem et humores incendunt et obstructions augent.

§. 819.

Oppressorius in pectore sensus mitigatur, simulque expectoratio promovetur, dum vesicatoria primo inter scapulas, dein in latus dextrum vel sinistrum vel etiam ad extremitates applicantur.

§. 820.

Expectorantia dulcia in peripneumonia raro utilia imo potius noxia deprehenduntur. Magis pro hoc scopo conducit, decoctum florum sambuci cum quinta parte oxymellis scillitici, remixtum, et calide repetitis vicibus haustum.

§. 821.

Opiata in peripneumonia vera nunquam prodesse, experientia docet, si vero tussis sanguinis floridioris, profusionem sustinet, vel in fine morbi ulceris consolidationem impedit, tunc quidem massa pillularum de cynoglossa unum vel alterum granum vel laudani liquidi SYDENHAMI guttae decem vel quindecim exhibere convenit.

§. 822.

Vesicatoria, dorso, et brachiis inposita in nimia pectoris oppressione, tussi et difficili excretionem per sputa, profuisse experientia confirmat. Iisdem quoque diarrhoeam feliciter saepe sisti, cuilibet rei perito notum est.

§. 823.

Inflammationem discutiant et dolores mitigant.

I.

a.) Molle linteum , camphorae frustulo bene perfricatum , complicatumque loco dolenti appositum.

b.) ℞. pingued. capon. ℥i.
 camph. ʒʒ.
 M. F. Linim. calide applicand.

2.

Tonum pulmonum in fine morbi egregie roborant.

a.) ℞. Ext. pimp. alb.
 cort. casc.
 Veronic. ana ʒi.

Aqu. Veronic.

Hyssop. ana ʒiv.

M. D. S. omni trihorio duo cochlearia.

b.) Versus noctem:

℞. Corall. r. ppt. gr. VIII.

Succ. praep.

mastich. ana gr. V.

croc. mart. antim. gr. III.

M. P. de cynogl. gr. I.

M. F. pulv. D. —

c.) Mane , aqua felterana cum lactis parte tertia , de die vero , eadem aqua quarta vini rhenani , remixta , bibatur.

S E C T I O V.

DE PERIPNEUMONIA NOTHA.

Theoria morbi.

§. 824.

Quae peripneumonia a pituita frigida, lenta, in vasis pulmonalibus, immeabili haerente, originem habet, artis medicae scriptoribus dicitur, notha §. 783.

§. 825.

Haec vero, his potissimum se prodit. Sub initium morbi, aegrotus mox incalescit, mox friget: rubent atque inflammantur genae, oculique: vehementior divexat tussis, cum dolore capitis molesto et lancinante: ad vomitum proclivitas; urina redditur rubra saepe turbida, nullo deposito sedimento; anhelitus, anxietas, pectorisque oppressio vix non semper adsunt: nulla vel levissima tantum febris comparent, indicia: ex motu quolibet vertiginosus est aegrotus et hebetudine insolita adfcitur: pulsus est celer, debilis et mollis, aut tardus et oppressus, nunquam durus et tensus.

§. 826.

Indicia aestus febrilis longe minora, magisque obscura, tussis vehemens cum capitis dolore, lancinante: hebetudo insolita, sensuumque torpor, morbum hunc potissimum a peripneumonia vera §. 782. distinguunt.

§. 827.

Sanguinem lenta et frigida pituita, gravatum, in ultimis vaforum pulmonalium angustis, immeabilem haerentem, *causam proximam* peripneumoniae nothae, sistere facile patet.

§. 828.

Cum morbus hic plerumque invadat eos, qui pituita lenta frigida sunt gravati, gravedineque atque coryza saepe laborant, quales fere semper sunt senes, et alii, qui debili, laxo, obeso, et crasso corporis habitu sunt praediti, facile apparet, omnia ea munere fungi *causarum praedisponentium* quae lentam pituitosam cacochymiam inducere valent ut, v. c. perspiratio insensibilis tempore potissimum hyemali, imminuta et suppressa, victus crudus farinosus, deficiens corporis exercitatio, et reliqua.

§. 829.

Causis occasionalibus adnumerantur, omnes illae conditiones quae lentam hanc pituitam in sanguine haerentem, ad pulmones determinant, et stagnantem in motum deducunt, humoribusque circulantibus, miscent, ut: cursus, inprimis fiante adverso vento, institutus, cantus quoque et clamores, ebrietas a valide calefacientibus, aestus, frigore subito exceptus et alia.

§. 830.

Si bene observentur, causae praegressae §. 828. 829. eaeque sollicitè comparentur cum laesionibus functionum §. 825. facile hic morbus periculosus, qui fallaci saepe lenitatis specie mendentes decipit, mox ab initio detegi poterit.

§. 831.

§. 831.

Quoad prognosin, saepe hunc morbum esse periculosum, imo quandoque hominem vix aegrotare se percipientem, subito e medio tollere, quotidiana confirmat experientia. Summa proinde requiritur prudentia, ut huic malo mox ab initio succurratur, quod quo modo fieri debeat jam a nobis breviter explicandum.

Sanandi modus

§. 832.

Si anhelitus, pectorisque oppressio doceant, vasa arteriosa pulmonum, tanta copia pituitae lentae esse repleta, ut impediatur sanguinis liber transitus ex corde dextro in sinistrum, vitaeque ideo immineat periculum; mox vena secanda aegroti in lecto jacenti, eaque sanguinis copia detrahenda quae sufficit, ut pulmo levetur.

§. 833.

Post sanguinis detractionem mox injiciatur enema F. 140. idque repetatur tamdiu, donec respiratio facilior, pulsusque elevatior docuerint, pulmones a pituita gravatos, levare, si enemata pro hoc scopo non sufficiant, ad levandam respirationis molestiam, potiuncula laxans rhabarbarina et mannata, cum stimulo salino, in usum vocanda F. 5. 113. quo eo citius vasa pulmonalia evacuentur.

§. 834.

Si crebriores, vomendi conatus simul urgent, consultum nos quidem esse arbitramur, ut uno vel altero cochleari, oxymellis scillitici, aut infuso

fuso ipecacuanhae vinoſo F. 2. vomitus excitetur, et ita non ſolum lenta pituita ex pulmonibus et ventriculo evocetur, ſed etiam vaſorum ſyſtema concutiatur et humores attenuentur.

§. 835.

Aliqua quoque in hoc morbo dilutio eſt neceſſaria. Conveniunt pro hoc ſcopo decocta lentorem reſolventia F. 135. atque infuſa varia herbarum incidentium detergentium et pectoralium, quales ſunt, hederæ terreſtris, hyſſopus, liquiritia: ſerum quoque lactis, melle dulcificatum, atque jura carniū dilutiora, ſucco citri vel aurantium acidulata, quæ calida haurire convenit. Minus profunt decocta hordeacea, avenacea et ſimilia, quia lentor, qui in his adeſt farinofus, cauſam morbi materialem auget.

§. 836.

Egredie ſimul levantur pulmones, quando crebriori uſu vaporum calidorum emollientium, ita diſponuntur, ut pars quaedam pituitæ, illis, inhaerentis per ſputa educi poſſit. Quam quidem materiae morboſæ excretionem juvant decocta attenuantia et abſtergentia modo præſcripta §. 835. et ſimilia F. 135. aſſiduo haurienda.

§. 837.

Non negligenda quoque ſunt illa remedia, quæ materiæ morbi, a pulmonibus verſus partes exteriores derivant. Hujus generis remediorum, præcipua ſunt, frictions atque balnea pedum et crurum, inprimis vero veſicatoria, nuchæ cruribus et femoribus inpoſita. Hæc vero non niſi motu humorum, per venaſectionem,

nem, enemata, et diluentia prius sedato, sunt adhibenda ne stimulo suo, circulum humorum intendant, atque pulmonum infarctum augeant.

Monita practica.

§. 838.

Cum experientia doceat, homines, peripneumonia notha, decumbentes, post largiorem sanguinis missionem, subito prostrari, atque debiliores fieri, non consultum esse videtur, pectoris oppressionem, repetitis venaesectionibus levare, augetur enim larga nimis et repetita sanguinis detractio, lentor pituitosus, ceu causa peripneumoniae materialis, vitaeque saepe cum sanguine perit. — Nocet quoque si, quod saepe accidit in hoc morbo, aegrotus exscreat, materiam coctam copiosam. — In genere hanc quidem evacuationem, ejusque copiam, indicant, sanguinis status, pulsus, et vires aegroti.

§. 839.

Si post sanguinis detractioem, angustia pectoris, comatisque cujusdam symptomata remanent, venaesectioni tunc substitui potest, nuchae et axillarum scarrificatio, et cucurbitularum applicatio, quibus locis scarrificatis, si adest periculum, vesicatoria latiora, inponi possunt.

§. 840.

Attenuantia calidiora, ut sunt: piper, zingiber, spiritus anisi, et similia, malum manifeste augere observantur. Nisi itaque redditi fuerint humores mobiles, ab omnibus calefacientibus sollicitè abstinendum.

S E C T I O VI.
D E P L E U R I T I D E .

. *Theoria Morbi.*

§. 841.

Si dolori, pectoris acuto, punctorio, in inspiratione magis se manifestanti, accedit febris acuta continua, est ille adfectus pleuritis.

§. 842.

Ubi, una cum his symptomatibus §. 841. prodeunt sputa per tussim, vocatur *pleuritis humida*: quando vero sicca atque inanis tussis divexat aegrotum, *sicca* vocatur. Haec, illa, habetur periculosior, curatuque difficilior.

§. 843.

Propriam hujus morbi sedem esse in membrana pleura, ipsique contigua tunica adiposa, et musculis incumbentibus, dissectio cadaverum, pleuritide mortuorum, confirmat.

§. 844.

Quamvis magnam inter se habeant affinitatem, pleuritis et peripneumonia ita, ut haec vix non semper eam sequatur: cum tamen sectio cadaverum docuerit, peripneumonia defunctos, habuisse pleuram illaefam, in cadaveribus vero, pleuritide defunctorum, pulmones saepe quoque fuisse illaefos: minus recte sentire videntur illi, qui pulmones semper utriusque morbi sedem esse, adfirmant. — Distinctam potius utriusque adfectus hujus esse sedem, statuere non dubi-

dubitamus, licet saepissime simul adsint, et pleuropneumoniam constituent.

§. 845.

Symptomata febrilia mitiora, dolor, imprimis lateris in inspiratu auctior magisque acutus et pungens quam gravativus, pleuritidem a peripneumonia optime distinguunt.

§. 846.

Si malum §. 841. pleuram, costas, interne succingentem, eique proximas partes musculosas, occupat, pleuritis dicitur *vera*: si autem partibus musculosis exterioribus inhaeret, *spuria* vocatur.

§. 847.

Notae, quibus pleuritis spuria distinguitur, a vera, praecipuae sunt: nulla tussis; febris non adeo acuta: respiratio minus difficilis, et molesta: pulsus non adeoensus et durus: dolor ut plurimum altius circa claviculam incipiens: decubitus in latere adfecto, difficilis: dolor tactu exacerbatus.

§. 848.

Pleuritis, cujus causa ab initio morbi, partes occupat descriptas §. 843. dicitur *idiopathica*: quae vero morbo prius nato, in corpore succedit, *symptomata* vocatur.

§. 849.

Omnis morbi decursus, his fere, se prodit phaenomenis: Incipit cum horrore frigore, debilitate, et lassitudine, Mox sequitur, calor, aestus, fitis: accedit dolor plus minus acutus, in aliis citius, serius in aliis, qui alterutrum

occupat latus, quandoque et dorsum, pectorisque anteriora. — Pulsus est velox, plenus, durus; respiratio coacta et prae sensu doloris summi, saepe suffocata: simul tunc sensuum externorum, et internorum sequitur torpor; pulsus fit debilis, mollis, parvus, dolor minus sentitur, atque aeger, pulmone repleto, subito saepe suffocatur. — Terminatur quoque, si vehementior est febris, in suppurationem et gangraenam. Si mitius est malum, benigna solvitur resolutione vel coctione et excretionem inprimis per sputa.

§. 850.

Historia morbi, atque dissectiones cadaverum pleuritide defunctorum, clare docent, *proximam* mali *causam* consistere in obstructione vasorum arteriosorum, quibus pleuram eique contiguas partes musculosas, constare, novimus.

§. 851.

Ad hanc §. 850. producendam causam *disponunt*: sanguis abundans, densus; solidaque rigida et contracta: victus durior, potusque spirituosus abusus; pectus a natura, angustum, minusque dilatabile.

§. 852.

Ad *occasionales* vero causas, inprimis referuntur: sanguis, animi vel corporis, vehementiori motu agitated; aer frigidus, praesertim, per rimas angustas, corpus aestuans nudum afficiens: potus gelidus, corpore aestuante, ingestus: evacuationes consuetae, subito suppressae: metastases tandem materiae morbi, ex aliis corporis partibus, ad pectus delatae.

§. 853.

§. 853.

Prognosis, ex generali, inflammationis theoria, propriae corporis constitutioni, applicata, formatur; inprimis vero notandum:

- 1.) Si partes pectoris exteriores adficiuntur minus discrimen est, quam si malum haeret profundius. Hinc vera pleuritis periculosior est spuria.
- 2.) Quo vehementior est febris, et quo difficilior magisque dolens respiratio: eo difficilius, benigna inflammationis resolutio, eoque certius suppuratio aut gangraena, metuenda.
- 3.) Quae septimo die, per excretiones, naturales, inprimis per sudores solvuntur pleuritides, boni eventus sunt: quae vero ultra septimum diem pertinaciter perdurant, anticipis eventus sunt.
- 4.) Si ante quartum diem, turbatur urina, atque sedimentum ponit, spes resolutionis per sudorem est. Idem sperandum, si per tussim, materia flavescens, non adeo viscida, neque spumosa cum levamine excernitur. Ubi nulla prodeant sputa, contrarium expectandum.
- 5.) Si pleuritis versus partes superiores ascendit, atque dolor punctiorius, locum mutat, majorem inflammationem, majusque periculum indicat.
- 6.) Si a principio usque ad quintum diem leviter procedens pleuritis, sexto die exacerbatur, plerumque lethalis est.

Modus sanandi.

§. 854.

In sananda pleuritide, eadem methodus est adhibenda, quae in curanda peripneumonia a nobis fuit exposita. Omnis nempe intentio eo imprimis est dirigenda, ut id, quod vasis arteriolis inactum haeret, atque aequabili humorum circulo resistit ita solvatur atque subigatur, ut vel absque impedimento, cum reliquis humoribus per vasa moveri, vel per corporis confecta colatoria, evacuari possit.

§. 855.

Si itaque medicus animadvertit: aegrotum esse laxae et humidae temperiei; febrem esse levem, pulsus duritiam non magnam, dolorem pectoris tolerabilem, nec respirationem multum impredientem, urinam naturali similem, et reliqua symptomata benigna: facile tunc quidem intelligit, pleuritidem benigna curatam iri resolutione. Nulla proinde in hoc casu medicina facienda, sed

- 1.) Vires aegroti, tenui victu sunt sustinendae §. 657.
- 2.) Sanguini sufficiens diluentis et leniter attenuantis liquidi copia, subministranda quod optime fit, dum saepe de die exhibentur remedia supra descripta §. 797.
- 3.) Loca vero quae dolent, molissimo fotu §. 797. no. 2. F. 141. vel etiam pulmento ex avena excorticata cum butyro et croco, remixto, flexilia atque ad transmittendum id quod haeret, apta reddantur.

§. 856.

Eadem obtinet sanandi methodus, si a natura, coctione et evacuatione sensibili, per consueta corporis colatoria, materiae peccantis, pleuritidem sanari animadvertitur. Cum vero variae sint viae, per quas natura hanc salutarem molitur excretionem, propriis quoque remediis, ea in opere suo, est juvanda.

§. 857.

Si, pleuritidem, a haemorrhoidibus, male suppressis, ortam fuisse, constet, apparentibus tunc signis, quae docent, naturam per has vias excretionem moliri, praeter remedia modo proposita §. 855. ea observanda, quae supra indicavimus §. 697.

§. 858.

Si ex urina copiosa, subrubra, cum multo sedimento, ante quartum diem, cum insequente levamine malorum, certi sumus, naturam per has vias moliri excretionem materiae peccantis: statim fomenta relaxantia, renibus, perinaeo et hypogastricae regioni sunt applicanda, diuretica leniora frequenter exhibenda F. 135. enemata emollientia saepe injicienda, et regimen calidum vitandum.

§. 859.

Si materia flava biliosa copiosa, ante quartum diem, per alvum evacuatur, cum aliquo symptomatum levamine, praeter fomenta similia toti abdomini applicanda et enemata laxantia, simul victus laxans, instituendus.

§. 860.

Si materia morbi soluta et mobilis reddita, vel immediate in pulmonem, pleurae contiguum, transit, vel etiam per propagines venae sine pari, in asperam arteriam defertur, vel denique ex ejusdem venae extremitatibus, prius in venam cavam, dein in cor dextrum et vasa pulmonalia venit: pleuritidem per sputa copiosa puriformia alba, saepe cum paucis sanguine mixta, ante quartum diem cum levamine prodeuntia, sanari, cognoscimus. In hoc morbi statu omnia ea sunt observanda quae supra precepimus §. 802.

§. 861.

Si abscessus, ante sextum diem, post aures, et ad crura, cum levamine, subito, oriri, observatur, omnia ea tentanda, quae supra indicavimus §. 812. neque maturatio crudi inflammatorii expectanda in pus bonum, sed cito tumor aperiendus, et remediis suppurantibus apertus servandus.

§. 862.

Si dolor ex pectore migrat, sexto vel septimo morbi die, ad humerum, scapulam, dorsum, vel manum: praeter diluentia interna copiose exhibita, locus, in quem natura, materiam morbi deponere advertitur, mox mollibus, calidisque fovendus, fricandus, et emplastris attrahentibus, stimulantibus, v. c. de labdano, meliloto, tegendus.

§. 863.

Haec, quae modo, memoravimus auxilia, medico observanda sufficiant, ubi a natura, absque multo artis molimine, sanatur pleuritis.

Si

Si vero ex dolore acerrimo, respiratione valde impedita, febre valida, et absentia excretionis, imprimis per sputa, cognoscitur a natura resolutionem inflammationis sperari non posse, omnis tunc quidem cura adhibenda, ut exitus, in supurationem praecaveatur.

§. 864.

Ad hanc per artem obtinendam resolutionem, maximum praesidium positum est, in sanguinis missione. Haec administranda ex brachio lateris adfecti, magna copia eaque repetenda, pro aetatis viriumque ratione, donec liberius spirare incipiat aegrotus, dolorque mitior factus.

§. 865.

Sanguine misso, mox clysmata emollientia sunt injicienda F. 43. 49. 140. ut intestina ab excrementis et flatibus evacuentur, atque simul major sanguinis copia ad aortam descendentem et vasa iliaca derivetur, pectusque hac ratione depleatur.

§. 866.

His praemissis, statim, sedulo parti dolenti applicanda sunt fomenta emollientia calida, vi, fibras nimium tensas, relaxandi praedita. Haec fomentis calidis ficcis semper multum praefenda. Profunt vero in hunc finem, decocta ex semine lini, foenugraeci, floribus chamomillae et sambuci, parata et similia F. 142. mediante panno laneo calide applicanda. Noctu, ne refrigescant fomenta, locus adfectus, oleo de althaea inunctus, emplastro de meliloto tegendus. — Optimo quoque cum successu, post adhibita prius fomenta humida, emplastrum anodynum applicari potest. F. 143.

§. 867.

§. 867.

Ut jam ad interna deveniamus, ea sunt adhibenda remedia, quae inflammatoriam sanguinis spissitudinem resolvunt. Huic vero consilio, maxime inserviunt decocta F. 39. 40. 41. 42. 133. 136. et similia, magna copia sed divisis dosibus exhibenda.

§. 868.

Si post sanguinis sufficientem detractionem et remedia externa §. 866. dolor, tussis et in quietudo, eadem severitate continuant, his remediis jungenda sunt mitiora anodyna ut sunt massa pillularum de cynoglossa, vel diacodium ad uncias duas aut tres, divisis dosibus exhibita. — Si rigiditas nimia, in causa est, oleum lini recens et amygdalarum dulcium, egregie dolorem et tussim mitigat, facile haec remedia sub usu continuato fomentorum ad locum adfectum determinantur.

§. 869.

Vires vitae sustinendae sunt, victu molli, refrigerante, antiphlogistico. Sola ut plurimum sufficit tisana hordeacea, avenacea, et panatella. Nocent omnia ex carne parata, nutrientia et potus quicumque fermentatus, et spirituosus.

§. 870.

Vitentur quoque, quae motum febrilem accelerare, et aestum augere valent. Noxia proinde sunt omnis generis remedia alexipharmaca, aër cubiculi nimis calidus, stragulorum pondus.

§. 871.

Morbo declinante, vires labefactatae corporis, crassiori paulo atque copiosiori cremore
tisanae,

tifane, aliisque similibus reficiendae, validiores cibi vero non facile concedendi. Lene catharticum tunc quoque profuisse, experientia, confirmat. — Sub usu horum omnium §. 864 - 871. ad motus naturae attendendum et medela praescripta §. 857-862. sedulo iis accommodanda.

§. 872.

Si dolor, tussis, et febris, ultra quartum diem, minori quamvis cum vehementia, quam ab initio, perdurant, neque ulla resolutionis vel criticae evacuationis signa apparent, simul tunc quoque horrores saepe intercurrentes, atque dyspnoea, cum sensu ponderis aucto, intra pectus sequuntur: in suppurationem tunc quidem terminari pleuritidem novimus.

§. 873.

Nisi igitur pus per sputa, ex pulmone educatur, omnis cura tunc quidem adhibenda, ut huic puri jam nato, per exteriora concilietur exitus, atque ita empyema periculosum praecaveatur.

§. 874.

Si itaque tumor et rubor aliquis in latere adfecto, apparet, optimo cum successu locus, ubi pus haerere supponitur, causticis inurendus, vel scarpello usque ad pleuram caute incidendus. Suppurantibus tunc quidem remediis vulnus apertum servandum, ut pus sibi exitum parari possit. — Solent quoque cucurbitam magnam loco dolenti applicare, dein vero scarrificare, vulnusculis autem sal vel nitrum inspergere.

3.

℞. Olei sem. lini frigide expr. ℥iiss.

sperm. cet. ℥ij.

ol. nuc. mosch. gutt. ii.

Aqu. cinam hordeat.

Syr. pap. errat. ana ℥vi.

M. D. S. haustus pleuriticus, calidiff.
fumendus.

 SECTIO VII.

DE PARAPHRENITIDE.

Theoria morbi.

§. 885.

Si inflammatio, eam occupat, pleurae partem, quae diaphragma, vel ipsum septum medium ambit, paraphrenitide tunc hominem laborare, scimus.

§. 886.

Praesentiam dirissimi hujus morbi, imprimis haec signa manifestant: febris acutissima; dolor lancinans, acutissimus circa cordis scrobiculum, in inspiratione, tussi, sternutatione, repletione stomachi, vomitu, et sub alvi vel urinae excretionem, immaniter auctus: respiratio sublimis parva, frequens suffocativa, quiescente abdomine, solo thorace peracta, tussis fere perpetua molestissima: hypochondria mox ab initio morbi introrsum revulsa: delirium perpetuum, convulsio, risus sardonius, singultus.

§. 887

§. 887.

Hypochondriorum, mox ab initio, adfecti diaphragmatis, revulsio: respiratio, parva sublimis et velox, atque risus sardonius propria hujus morbi symptomata haberi solent eumque a phrenitide distinguunt.

§. 888.

Causae, tam proxima quam praedisponentes et occasionales, eadem observantur, quae pleuritidem facere, supra indicata fuerunt. Insuperabili vero, licet cognito huic malo occasionem saepe dant, potus frigidissimus, sub motu diaphragmatis vehementi, ingestus, atque materia morbi in febribus acutis, ad vasa diaphragmatis per metastasin delata.

§. 889.

Quoad exitum hujus morbi, idem quidem esse observatur ut in pleuritide. Motus vero assiduus diaphragmatis, hujusque nexus cum partibus vicinis, potissimum cum pericardio, aorta descendente et vena cava ascendente, summum semper periculum indicant. — Recte proinde judicat HIPPOCRATES quando dicit: hic autem morbus lethalis est: tertio namque die aut quinto aut septimo moriuntur: si vero leviter corripuerit ut peripneumonia judicat. Resolutio vix unquam speranda, suppuratio vero si accedat, pus in cavum pectoris aut abdominis effusum, inevitabilem mortem post se trahit.

Modus sanandi.

§. 890.

Cum paraphrenitis fere similis pleuritidi, sit morbus, omnia ea sunt observanda, atque in

usum vocanda remedia, quae in capite antecedenti satis fufe indicavimus, exceptis iis, quae externe applicata, minoris hic usus sunt quam in pleuritide.

§. 891.

Mox sub initium morbi, larga venaesectio instituenda, atque decocta diluentia antiphlogistica supra laudata, sufficienti copia, haurienda. In primis vero enemata emollientia frequenter injicienda, quia colon, mollissimis his decoctis, repletum, diaphragmati vicino, dat fomentum blandum resolvens. — Si a metastasi ortum est malum, absque mora curatio tentanda vesicatoriis, ut materia morbi versus partes ignobiliores quantocyus ducatur.

SECTIO VIII.

DE HEPATITIDE.

Theoria morbi.

§. 892.

Si obstructioni hepatis, jungitur febris acuta continua, hominem tunc quidem hepatitide laborare, auctores confirmant.

§. 893.

In veram et spuriam, hepatitis, dividi solet. *Vera* dicitur, cujus sedes in ipsa interna hepatis substantia est. *Spuria*, quae membranas et ligamenta convexae ipsius partis, occupat.

§. 894.

§. 894.

Quamvis veram hepatis inflammationem, in rarissimorum affectuum, classem referendam esse, et non aliam nisi spuriam, locum habere, auctores statuunt: vomicae tamen purulentae in hepate inventae, non ex metastasi natae, contrarium probant.

§. 895.

In hepate, simili modo, ut in pulmone, duplex locum habere videtur inflammationis modus. Potest enim haerere inflammatoria obstructio vel in propaginibus arteriae hepaticae, vel in ultimis ramis venae portarum. Una alteram, propter frequentes, quibus inter se junguntur, anastomoses, facile sequitur. — Si circa fines arteriae hepaticae haeret inflammatio, partem hepatis gibbam, si vero in propaginibus venae portarum obstructio est, ejus partem simam esse inflammataam, observata docent.

§. 896.

Praecipua, quibus hepatitis dignoscitur, signa haec esse observantur: Incipit frequentissime cum horrore, quem mox excipit aestus sensibilis plus minus gravis, cum dolore hypochondrii dextri, siti et tussi. Si gibbosam hepatis partem occupat inflammatio praesto tunc esse solent, dolor lateris dextri validior ad jugulum usque et humerum protensus: tussis frequentior, spirandique difficultas major, urina pauca flammea: pulsus durus celer et frequens: tumor hypochondrii dextri, evidens, qui injecta manu interdum visu deprehenditur: decubitus in latus dextrum, molestior et gravitas major. — Si vero ima hepatis pars inflammatione adficitur, minor quidem subest gravitas,

vitas, febris est mitior, dolor minus acutus, pulsus non adeo durus, sed celer, urina turbida flava; urgent vero inprimis, nausea, vomitus, sitis, ipseque homo fere singultu, strangulatur. Lingua tum quoque est sicca, flava et tandem nigra, color flavescens et fuscus, saepe in toto corpore praesertim in facie et oculis observatur et decubitus in latus sinistrum molestior est. Inflammatio in parte convexa, solvitur, sudore, urina, haemorrhagia, in concava vero, quoque sudore, sed et diarrhoea et vomitu.

§. 897.

Causam proximam hepatitis verae consistere in obstructione inflammatoria eorum vasorum, quibus, hepar constare indicavimus §. 895. ex theoria generali inflammationis patet.

§. 898.

Ad praedisponentes causas referuntur, temperamentum cholericum et melancholicum, malum hypochondriacum, obesitas omenti ingens, bilis viscida et acris, calculus vesiculae felleae.

§. 899.

Occasionalium praecipuae sunt: alimenta tenacia viscida et acria; ira vehemens vomitus, haemorrhoides suppressae febris ardens biliosa, metastasis, laesio externa et multa alia.

§. 900.

Ut jam ad prognosin procedamus, sequentia inprimis notanda esse censemus:

1.) Quo validior est febris et dolor, eo major metus funesti eventus.

2.) Mi-

- 2.) Minus discrimen est, si inflammatio haeret in vasis venae portarum, quam si occupat vasa arteriola hepatica. Gibbosa enim pars hepatis inflammata facile diaphragma simul adficit.
- 3.) dolor lienis mitior, ante signa suppurationis, indicat, materiam in hepate stagnantem jam mobilem redditam, per alias vias iri excretam. In progressu morbi, ubi nulla spes resolutionis apparet, idem dolor suppurationem et scirrhum indicat.
- 4.) Si ante quartum diem, diarrhoea biliosa sanguine interdum mixta, urina copiosa turbida rubra cum sedimento albo, vel tandem haemorrhagia ex nare dextra vel ex ano, et sudores cum levamine morbi succedunt, tunc quidem spes est, morbum coctione et excretionem curatum iri.
- 5.) Si ante quartum diem nulla signa resolutionis vel coctionis et excretionis apparent atque dolor acutus in obtusum mutatur, febrisque mitescit et horrores saepe intercurrentes accedunt: transitus inflammationis in suppurationem, ut plurimum exitiosam facile dignoscitur.
- 6.) Si facta suppuratione, debilitates, animi-mique deliquia sequuntur, atque abdomen in tumorem sensim attollitur, scire licet, abscessum ruptum, pus fudisse in cavum abdominis. Si vero fluxus sic dictus hepaticus succedit, pus per ductum choledochum ad intestina deferri novimus. Uterque eventus, aequè funestus est, ac si totum hepar pure consumeretur, aut pus per venam cavam toti massae humorum misceretur.

7.) Quan-

- 7.) Quando tumor acrescit peritoneo, atque abscessum externum format, tunc saepe spes boni eventus haberi potest.
- 8.) Vomitus nigri, dejectiones alvi tetri coloris et odoris, continuus singultus, litis magna, extremitatum frigus, signa dant gangraenae praesentis, mortisque instantis.
- 9.) Si post inflammationem modo memorati eventus non sequuntur, malum in scirrhum immedicabilem transit.

Modus sanandi.

§. 901.

Quoad methodum medendi, ea omnia sunt observanda, quae in cura pleuritidis a nobis fuerunt proposita. Inprimis vero observandum, an per naturam resolutione benigna aut coctione et excretionem materiae peccantis, an vero artis auxilio, sanabilis sit morbus.

§. 902.

Si itaque ex benignitate symptomatum §. 896. cognoscitur, hepatidem blanda resolutione sanari posse, ea tunc in usum vocanda remedia, quae diluunt, et ea, quae in angustiis vasorum hepaticorum stagnare incipiunt, absque motus circulatorii augmento, solvunt. §. 797. 855. Praecipue vero huic scopo inserviunt, serum lactis, atque juscula tenuiora quibus incoquantur folia lactucae, borraginis buglosae et similium, nec non roob sambuci, ribesiorum, et ejus generis alia, cum nitro et sale polychresto in aqua soluta F. 39. Profunt quoque frictiones hypochondriorum, epithemata ibidem descripta §. 555. et enemata F. 140.

§. 903.

Si materia flava, biliosa, copiose, ante quartum diem, per alvum cum aliquo levamine excernitur: eadem remedia diluentia et attenuantia sunt adhibenda §. 902. Huic imprimis consilio pro potu ordinario inservit, serum lactis recens, cum herbis lactescentibus, quales sunt, sonchi, endiviae, cichorea, taraxaca, scorzonerae radices, decoctum. F. 37. subacida et acescentia, ut sunt, roob sambuci, ribesiorum et similia in sero lactis, vel decocto hordei, avenae etc. diluta eadem indicationi satisfaciunt, simulque putrefactioni metuendae resistunt. F. 145. Praeter haec non negligenda sunt epithemata et fomenta dextro hypochondrio applicata §. 803. no. 2. F. 141. 142. et clysmata ex similibus parata F. 43. 49. 140.

§. 904.

Si natura, materiam morbi, in ultimis angustis venae portarum, haerentem, solutam et per venam cavam cruori circulanti permixtam, per vias urinae excernere intendit, ante quartam morbi diem, tunc quidem praeter remedia §. 804. 858. illa quoque sunt adhibenda, quae paraprapho praecedenti laudata fuerunt. Simplex decoctum tenue radice apii cum oxymelle egregie, in hac morbi conditione profuisse, experientia docuit.

§. 905.

Ubi narium haemorrhagia ex signis suis, futura cognoscitur a) per quam natura inflammationem resolvere intendit, statim applicanda sunt fomenta tepida fronti, et vapores tepidi, nari-
bus

a) SVIT. COM. ID BOERH. APH. § 741.

bus frequenter, attrahendi, donec sanguis sufficienti copia effluat, omniaque symptomata minuantur. Si nimis fluere pergit sanguis, cum vitae periculo, ea observanda quae supra praecepimus. §. 236.

§. 906.

Si tandem per sudores resolutionem fieri, animadvertimus, liquida diluentia tepida supra descripta §. 902. inprimis largus feri lactis tepidi usus, sudores sustineantur, omniaque calidiora sudorifera vitentur.

§. 907.

Si vero per has vias §. 902.-906. resolutionem a natura sperari non posse, animadvertimus, arte tunc quidem salutaris hic exitus omni modo tentandus. Huic vero consilio maxime inserviunt omnia ea quae in curatione pleuritidis, peripneumoniae aliorumque morborum inflammatoriorum, praecepimus.

§. 908.

Statim igitur sub initium morbi, si febris intensa, laesio externa, aliaque graviora symptomata urgent, venaesectio larga administranda, eaque omnia auxilia adhibenda quae supra §. 866. 867. praecepimus, inprimis vero epithemata ex plantis amaricantibus F. 146. atque enemata F. 140. crebrius, injicienda.

§. 909.

Ubi vero adhibitis remediis §. 908. symptomata febris inflammatoriae, ultra triduum perdurant, nec ulla signa resolutionis aut coctionis et excretionis apparent, tandem vero horrores vagi, cum remissione doloris sequuntur: de exitu inflam-

inflammationis in pus jam dubitari nequit. Praesentiam ejus inprimis manifestant, tumor externus, si vomica in convexa hepatis parte haeret, ponderis quoque sensus, debilitas, febris hectica, sitis ingens.

§. 910.

Cum exitus in suppurationem in viscere hoc molli, et friabili, humoribus ad putredinem pronis, repleto, vix non semper funestus apprehendatur, parum ut plurimum ars potest praestare. Haec interim circa medelam a medico sunt observanda.

§. 911.

Si pus diu retentum et acrius redditum, a venis resorptum sanguini miscetur, totum tunc quidem consumitur hepar, cacochymia sequitur purulenta et tabes. Nulla, ad superandum hoc malum datur, medela. Ad levandam sitim fere inexplicabilem juvant interdum ab initio morbi, acida, multa aqua diluta. — Nulla cardiaca hanc a putredine natam debilitatem juvant.

§. 912.

Aequè incurabile est malum, si pus effunditur in cavum abdominis. Inde oritur, ascites purulentus, corruptio viscerum, tabes, et mors.

§. 913.

Si materia suppurata, per ductum hepaticum ad duodenum et ventriculum defertur, atque vel per vomitum vel per alvum expellitur, bene observandum, an pus album et leve, liberaliter, an vero ichorosum et foetidum exeat. In casu ultimo semper sequitur mors, in priori vero casu, cum suppuratione multum de substantia hepatis perie-

perierit, atque locus ulcerosus depurari et consolidari nequeat, aequè magnum discrimen est, et ut plurimum funestus sequitur eventus. Omne quod de arte sperare licet, consistit in eo, ut adhibeantur remedia, putredini adversa atque detergentia §. 903.

§. 914.

Si per exesos venae cavae fines, materia purulenta, massae sanguineae miscetur, tunc vel subita sequitur suffocatio, vel cacochymia purulenta lethalis. Serum lactis cum acetosa coctum, potus diluentes aciduli supra descripti, larga copia exhibiti, in hoc casu optime profunt.

§. 915.

Si tandem abscessus, versus exteriora tendit, et tumorem apparentem format, prius, divisis abdominis integumentis, lanceola aperiatur et ita puri quantocyus exitus paretur. Si tunc pus bonae notae exit, remedia externa depurantia et interna §. 914. adhibita, spem aliquam, licet incertam dant sanationis. Si vero ichor prodit flavus, lividus, amurcosus, certus interitus praefagiendus.

§. 916.

Saepe quoque fieri solet, ut inflammatio hepatis, neque resolvatur, neque in suppurationem abeat, sed tumorem durum, indolentem, quem vocant scirrhum, relinquat. Hoc malum remediis acerbis, fortioribus non agitandum, alias facile mutatur in cancrum. Applicari possunt fomenta resolventia, emplastra, saponacea ex gummatibus parata. Haec si non juvant in principio, consultum est, intactum relinquere malum.

§. 917.

§. 917.

Ubi tandem hepatis vasa, humore immeabili, subito inpleta, valide urgentur, a sanguine circulante, primo totum tumet hepar, dein vicina omnia comprimuntur, atque icterus subito succedit. Quae si continuant, vasa rupta humores effundunt in cavum abdominis, accedunt subita virium exsolutio, vomitus aut secessus sanguineae, biliosae, nigrae, foetidae materiae, litis intensissima, mors.

Monita practica.

§. 918.

Omnis generis remedia narcotica et sudorifera calidiora, praesertim crocata a nonnullis ceu specificum, laudata, ab initio morbi, nocent. — His praeferenda antiphlogistica diluentia, resolventia ut v. c. serum lactis cum acetosella, paratum. Mel purum, cum vino rhenano vel aceto, datum, atque succus expressus herbarum lactescentium, quales sunt endivia, taraxacum, reliquis palmam praeripiunt.

§. 919.

Vitanda quoque sunt, cataplasmata, unguenta et emplastra, pingua, oleosa, et purgantia fortiora. Venaesectio in principio tantum, si opus, celebranda. — Neque camphora in usum vocanda, nisi a principio morbi, vel etiam eo in casu ubi, febre decrescente, vires vitales nimis torpeant. — Ictero accedente, cataplasmata ex herbis cardui benedicti, scordii, absinthii, et floribus chamomillae semineque cumini, cum vino para-

ta, magni usus sunt. — Vesicatorium latum loco adfecto, praemissa venae sectione, inpositum laudat. PRINGLE.

SECTIO IX.

DE SPLENITIDE.

Theoria morbi.

§. 920.

Si obstructione lienis cum febre continua, laborat homo, eum tunc quidem splenitide decumbere dicitur.

§. 921.

Incipit ut plurimum cum horrore, quem mox excipit aestus gravior cum siti, et respiratione difficili. In hypochondrio sinistro persentiscit aeger, tumorem pulsantem obtuse dolentem, stillat saepe ex nare sinistra sanguis. Reliqua signa cum hepatitis fere communia habet.

§. 922.

Splenitis a nephritide dignoscitur, partim atrociam doloris, qui multo acutior est in nephritide, partim loco adfecto; in splenitide enim dolor magis antrorsum in nephritide vero, versus spinam dorsi, affligere observatur.

§. 923.

Causae, tam proxima, quam praedisponentes et occasionales similes sunt iis, quas in hepatitis indicavimus. Idem quoque exitus splenitidis,

dis, in resolutionem, suppurationem, scirrhum et sphacelum, ac in hepatide.

§. 924.

Quoad prognosin, ea omnia hic ad viscus adfectum, applicari possunt, quae supra indicavimus §. 900. Experientia quoque conpertum habemus; vomitum nigrum in hepatide adeo periculosum, si in splenitide circa dies criticos contingit, morbum saepe solvere. Aequae facile cuilibet rei perito patet, periculosiorem semper esse splenitidem, quae substantiam occupat lienis atque in suppurationem vergit, quam quae in superficie visceris existit; omnium vero frequentissime malum hoc abire in scirrhum.

Modus sanandi.

§. 925.

Nec multum differt, curatio mali, a curatione hepatitidis. Nam:

- 1.) Si resolutione benigna morbum sanari, observamus, ea tunc adhibenda auxilia sunt quae supra praecepimus. §. 902.
- 2.) Si coctione et excretionem materiae peccantis, natura medelam molitur, ea in usum vocanda auxilia quae profuisse notavimus. §. 903. — 906.
- 3.) Si tandem morbus adeo gravis est, ut resolutio a natura non sit speranda tunc quidem
 - a.) Venaesectio, si indicatur in brachio, mox ab initio instituenda.
 - b.) Alvus enematis emollientibus ducenda.
 - c.) Interne, serum lactis cum herba recenti acetosa, paratum, et similes potus, magna copia,

copia, sed divisis haustibus, exhibendi
F. 133. 134. 136.

d.) Externe fomenta emollientia resolventia
et antiputrida assiduo applicanda F. 141.
142. 146. 147.

e.) Si his utcumque adhibitis, inflammatio
in scirrhum degenerare animadvertitur,
ea in usum vocanda, quae supra §. 916.
praecepimus. Interne vero saponacea et
gummata, forte cicuta usum aliquem prae-
stare possunt. Pillulae alterantes PLUMERI,
et solutio mercurialis PLENCKII, forte
reliquis praeferri possunt. F. 148. 149.

SECTION X.

DE NEPHRITIDE.

Theoria morbi.

§. 926.

Si dolori renum plus minus acuto, jungitur
febris acuta continua, morbus tunc nephri-
tidis nomine insignitur.

§. 927.

Nephritis, quae a stagnatione rubri sanguinis
in ultimis vasculis arteriosis renum, producitur,
dicitur, *vera* inflammatio: quae vero sero et
lymphae in rene et regione lumbari, partibus-
que adjacentibus, stagnanti, vel etiam calculo
originem suam debet, *spuria* vocatur. — Prior
de qua nobis sermo est, vel superficiem vel in-
ternam renum occupat substantiam, eaque a spu-
ria imprimis febre accedente distinguitur.

§. 928.

§. 928.

Praeter symptomata, febribus inflammatoriis communia, nephritidis verae praesentiam haec indicant signa: dolor in regione lumborum ad spinae dorsum latus, loco costis ultimis et ossi ileo, intermedio, ab initio obscurus, mox acutus pulsans: urina mox pauca rubra et flammea, in summo malo, aquosa: ructus perpetui atque vomitus biliosi: alvus vel laxa nimis, vel adstricta: stupor cruris atque dolor et adtractio testis, eo in latere quod reni inflammato respondet: facilius decubitus in latus sinistrum et in dorsum.

§. 929.

Ex his signis §. 928. dolor acutus inflammatorius, eo in loco, ubi renes sunt siti, atque difficultas mittendi urinam, signa essentialia constituunt, quibus statim ab initio nephritis a colicis et iliacis doloribus distingui potest.

§. 930.

Causa proxima nephritidis verae est stasis sanguinis in ultimis vasculis arteriosis renalibus, congesti.

§. 931.

Praedisponentes causae imprimis hae esse observantur, nempe: diaeta calida, aromatica vinosa, diu continuata: abusus veneris et aphrodisiacorum: dispositio calculosa: evacuationes consuetae suppressae.

§. 932.

Occasionem vero huic morbo dant: diuretica fortiora adhibita: usus cantharidum internus incaute adhibitus: vulnus, contusio, decubitus

diurnus in latus adfectum; nixus corporis validus; curfus et equitatio vehemens, et diuturna: scybala duriora, diu in colo retenta: spastica diu durans vasculorum constrictio, in hysteri-
cis et hypochondriacis, metastasis materiae morbosae.

§. 933.

Quoad prognosin, sequentia notanda esse, censemus, nempe:

- 1.) Si mitiora sunt symptomata, atque urina, copiosa, crassa, quarto, septimo, vel decimo die cum levamine excernitur, porro quoque si haemorrhoides vel menstrua, sub morbi initium copiose fiunt: resolutionem inflammationis esse expectandam, facile cognoscimus.
- 2.) Si inflammatio magna, nec resolutionis signa apparent, dolor vero et inpetus febrilis remittunt, vagique et recurrentes sequuntur horrores, inflammationem in suppurationem vergere novimus. Factam jam suppurationem indicat, pus cum urina excretum, non exacte permixtum, sed statim in fundo vasis ab urina separatum apparens.
- 3.) Si pus cum urina excretum, album, leve et aequale est nec male olet, spes sanitatis aliqua haberi potest. Si vero illud ad intestina vel alia loca ducitur et id, quod cum urina exit male olet et colorem viridem et nigrum habet, facile cognoscimus, in renibus exulcerationem notabilem adesse. Subitanea doloris remissio, horror, urinae nigrae cum carunculis excretio, sudor frigidus, gangraenam praesentem indicant.

4.) Si

- 4.) Si post tempus maturationis elapsum, dolor et febris cessant, atque tumor durus, cum dolore pressorio remanent: urina pauca aquosa excernitur: et pes lateris adfecti paralyti adfcitur, immedicabile malum, quod vocant scirrhum renes occupare, scimus.
- 5.) Summum periculum indicant, vomitus perpetui biliosi, deliria perpetua, extremitatum frigus.

Modus sanandi.

§. 934.

A quacunq; causa fuerit orta, nephritis, omnium tamen ferme eadem est curatio. Si itaque ex benignitate symptomatum cognoscimus, morbum a natura vel benigna resolutione vel coctione et excretionem materiae morbosae, sanatum iri; iis tunc quidem remediis, natura juvanda quae supra in curatione pleuritis profuisse docuimus. §. 855. — 862.

§. 935.

Si vero morbus, gravioribus stipatur symptomatibus, neque ullae excretionem criticae apparent: remedia tunc quidem generalia, omni inflammationi sanandae, propria, in usum vocanda, ut quantocyus resolutio inflammationis obtineatur.

§. 936.

Si itaque aeger temperamento sanguineo fuerit, statim sub morbi initium mittatur sanguis e b. achio, reni adiecto, respondentem, quantitate sufficiente. Si haemorrhoidum vel catameniorum suppressio inflammationi occasionem dede-

rit, in pede vena solui potest. Iungitur quoque venaesectioni, saepe optimo cum successu, scarificatio in regione lumborum administranda.

§. 937.

Secta vena, mox injiciantur enemata ex decoctis emollientibus oleosis parata, haec enim egregie, renes, colo suppositos, solvent, laxant, emolliunt, et ideo stagnans, in iis liquidum; mobile reddunt. Eidem scopo inserviunt fomenta supra laudata §. 866. sedulo applicanda, atque balnea similia.

§. 938.

Interne exhibeantur, decocta lenissima, emollientia, antiphlogistica, omnis acrimoniae expertia, copia magna, sed repetitis haustibus ingesta, qualia sunt aqua mellis, serum lactis, et quae descripsimus alia F. 149. 150.

§. 939.

Si doloris vel convulsionis, nimia, urgent symptomata, opiata tunc quidem in usum vocari possunt. Vomitus quoque nimius saepe, ingestu aquae tepidae mellitae optimo cum successu mitigatur.

§. 940.

Quoad victum, experientia docuit, in nephritide omnia ea nocere, quae acria sunt. Haec enim sanguini mista et per vias urinarias excreta, facile renes inflammatos, irritando, malum insigniter augment. — Conveniunt potius lenissima demulcentia qualia sunt juscula tenuiora cum farinaceis vel radicibus et herbis demulcentibus decocta, v. c. radicibus graminis, altheae,

theae, apii dulcis, asparagi, herbae chaerophylli &c.

§. 941.

Cum renes, in decubitu corporis resupino, in dorsum, facile a pondere viscerum incumbentium conprimantur, adeoque hoc modo obstructio augeatur: proderit omnino, ut aegroti situm corporis saepe mutant, atque subinde a lecto abstineant, ne calore lecti, calor febrilis incendatur.

§. 942.

Si ex signis §. 933. no. 2. constiterit, inflammationem vergere in suppurationem, haec protinus, enematis emollientibus, oleosis crebrius injectis, cataplasmatibus, et balneis, potu dein demulcente, magna copia, ingestis, est promovenda.

§. 943.

Ubi, ex sensu ponderis aucto, morbi duratione et partium vicinarum tensione, cognoscimus, pus collectum haerere in vomica, tunc quidem, tussi, sternutatione, unctione in rheda, ruptura ejus quantocyus tentanda, ne pus diu nimis ibidem haerens, totum renem exedat, et tabem renalem inducat.

§. 944.

Si tandem pus cum urina excretum docet, vomicam esse ruptam; mox abstergentia lenissima, purificantia et consolidantia, in usum vocanda. Profunt in hunc finem, serum lactis larga copia potatum, lac cum melle, vel aquis selteranis remixtum, infusa et decocta herbarum §. 940. et radicum abstergentium.

§. 945.

Si his, diu continuatis, nullum jam pus in urina, apparet, cortex tunc quidem peruvianus, interponi, vel etiam decoctis ex herbis millefolio, pyrola, sanicula, hyssopo, et similibus admisceri potest, ut eo facilius obtineatur consolidatio.

§. 946.

Si versus exteriora protuberat abscessus renalis, scalpello quidem sectionem ejus tentare suadent autores: raro vero cum successu hanc adeo difficilem suscipi operationem experientia docet.— Cum enim ut plurimum abscessus rumpitur ante, quam satis elevata sint omnia, quae reni incumbunt, saepe tunc in profundissimos sinus fistulosos haec ulcera abire solent.

§. 947.

Aliquando abscessus renalis, colo vicino, praeter naturam, accretus, pus contentum, in cavum intestinorum defert, et tunc quidem illud saepe cum levamine per alvum excernitur. In hoc casu, ea medela adhibenda, quem in intestinis suppuratis convenire, infra docebimus.

§. 948.

Si paralyfis vel claudicatio, cruris vicini, scirrhum jam generari, indicant; hydrops atque tabes lenta ut plurimum sequuntur, quae nulla arte sanari possunt. — Si tandem ex vehementia causae et symptomatum, subitaque doloris, sine causa, remissione cum sudore frigido, pulsu debili intermittente, et urina vel nulla vel nigra foetente, cognoscitur, malum jam transire in gangraenam, nulla medicina juvat, cito namque

que ad vicina proserpit, eaque putredine consumit.

Monita practica.

§. 949.

Cum diuretica fortiora acria, imo et balsama nativa, larga dosi, exhibita, facile stranguriam, faciant, et stimulo suo inflammationem augeant: ea omni modo vitanda esse, facile patet. Crebra tamen experientia compertum habemus, pulcherrimi usus esse in detergendis renum ulceribus, terebinthinam et balsamum de Mecha si ejus drachma cum succi glycyrrhizae inspissati uncia una in pillulas formetur, et ad grana viginti vel triginta omni quadrihorio, deglutiantur. Post singulas doses vero serum lactis vel alius potus similis demulcens, hauriri potest.

§. 950.

Dolores, atque convulsiones, quae a nervis irritatis in renibus, et vicinis partibus, imi ventris, originem habent, opiatis quidem consopiri possunt, non vero prius, quam cura antiphlogistica fuerit adhibita.

§. 951.

Cum constet, renes a vomitu valde agitari, atque simul obstructionem inflammatoriam, in is augeri, facile quoque intelligitur, eum omni modo esse facilitandam. Huic vero consilio maxime inserviunt, tepida mellita copiose ingesta, oleum amygdalarum dulcium, emulsiones ex seminibus melonum, cardui mariae et papaveris: enemata ex emollientibus herbis parata.

§. 952.

Quemadmodum in aliis morbis inflammatoriis, eae tantum, laudantur urinae, quae bonum habent sedimentum, ita in nephritide inflammatoria illae quoque salutes deprehenduntur urinae quae crassae et fuscae excernuntur absque sedimento.

§. 953.

Pus cum urina excretum, non ab aliis locis, sed ex renibus exulceratis prodire cognoscitur, si sequitur nephritidem inflammatoriam, neque urinae permixtum manet, sed statim in fundo vasis separatum apparet. Tenuius quoque est pus, quod ex renibus prodit, quam illud quod ex vesica venit. Hoc enim glutinis instar ad fundum vasis secedit, et renibus suppuratis una cum urina excernuntur particulae crassiores magis carnosae, in vesicae abscessu vero cum urinaamenta quasi foliacea prodeunt.

§. 954.

Externe, oleosis et spirituosis camphoratis multum praeferenda sunt decocta herbarum emollientium ex lacte, cum pauco croci remixta, et vesicae inclusa, loco dolenti apponenda. — Vomitus excedens optime mitigatur aqua mellita tepida.

§. 955.

Inter remedia ad ulcera renum sananda praecipue referuntur: rhabarbarum in parva dosi sed diu exhibitum: radix pareirae bravae in substantia ad grana XII. — XVIII. in decocto ad scrupulos duos exhibita: aqua calcis cum lacte: decoctum herbae veronicae cum melle et parum nucis

nucis moschati: roob juniperi in vino malvatico dilutum: lac ebutyratum: cerevisia levior cum strobulis pini bene fermentata et defoecata: et sequens pulvis:

℞. Rad. consolid. major.

Gum. arabic. ana ℥i.

facch. penid. ℥ij.

M. F. Pulv. de quo capiat aeger cochleare j. bis de die.

SECTIO XI.

DE GASTRITIDE.

§. 856.

Si dolori ventriculi acuto, jungitur febris continua acuta, morbus tunc quidem vocatur inflammatio ventriculi sive gastritis.

§. 957.

Praeter signa, inflammationi cuicunque communia, gastritidis praesentiam imprimis manifestant: dolor acutus fixus circa cordis scrobiculum: ejusdem doloris, eo ipso momento, quo aliquid etiam parcissima copia, sub cibi vel potus lenissimi titulo, ingeritur ventriculo, exacerbatio: vomitus dolentissimus statim ab assumptis, succedens, vix compescendus: in morbi progressu frequens singultus, sitis clamosa, respiratio brevis difficilis animi deliquia, deliria &c.

§. 958.

A paraphrenitide et hepatitide, concavam hepatis partem, occupante, distinguitur dolore ardente ab ingestis quibuscunque, illico orto: a
car-

cardialgia vero spastica, febre acuta quae illam semper comitatur in hac vero abest.

§. 959.

Causam proximam cum aliis morbis inflammatoriis, gastritis, communem habet. Ad remotiores vero causas occasionales imprimis referuntur: potus gelidus corpori aestuanti, subito ingestus: vomitoria atque purgantia drastica, intempestive adhibita: venena acria ingesta: ira vehemens post cibum sumtum cum vomitu bilioso: abusus calidorum praecipue spiritus vini, materia tandem quaevis acris, in morbis acutis et chronicis e. g. in podagra, metastasi ad tunicas ventriculi delata.

§. 960.

Inflammatiō stomachi est adfectus periculosus et, nisi sub initium ejus, adferatur auxilium ut plurimum tertio vel quarto die lethalis. Si deglutitio fit sonora, atque convulsiones, deliria et sudor frigidus accedunt, inevitabilis sequitur mors. Si, quod raro fieri solet, in suppurationem tendit, ruptus abscessus pus fundit contentum vel in ventriculi vel abdominis cavum, malum fere semper immedicabile.

§. 961.

Transit quidem inflammatio ventriculi, ut reliquae viscerum inflammationes, in sanitatem suppurationem, gangraenam, scirrhum, hoc tamen habet peculiare, quod a veneno fortiori assumpto vel potu gelidissimo corpori aestuanti affatim ingesto orta, subitam convulsionibus acceleratam afferat mortem.

Modus sanandi.

§. 962.

Si causae, metuendae inflammationis satis pateant, ea absque mora in usum vocanda remedia sunt, quae illas removere valent, prius, quam inflammatio est orta. Cum vero variae hae esse possint causae, varia quoque auxilia adhiberi debent, acrimoniae singulari opposita.

§. 963.

Si itaque venenum causticum arsenicale, vel purgans, vomitorium mercuriale, medicamentum fuerit adsumtum: statim oleum amygdalarum dulcium, vel olivarum, lac ejusque cremor, et similia, copiosius hausta, in usum vocanda, ut leni vomitu ea quae acria haerent in ventriculo, excernantur, prius quam corrosione facta est inflammatio.

§. 964.

Si ab ira, superingesto cibo et potu frigidus, inflammationem instare, metuimus, aqua tepida cum oleosis mixta, largiusque pota, vomitus ciendus, atque spasmus, liquore anodyno minerali in aquis antispasmodicis dato, sedandus.

§. 965.

Si in cholera, ab acri corrosiva bile in ventriculo haerente, metuitur inflammatio eadem profunt remedia demulcentia oleosa, inprimis decocta gelatinosa, pedum vituli et vervecis, item hordei, avenae cum lacte vel oleo amygdalarum dulcium.

§. 966.

Si retrocessio exanthematum, inflammationem ventriculi, minatur, mox emulsiões cum nitro et camphora exhibendae. F. 75.

§. 967.

Infantes quoque ab acri acido colostro, in ventriculo haerente, in hunc morbum incidunt et quam subitissime convulsi moriuntur. In hoc casu magnae efficaciae sunt absorbentia, et sapo.

§. 968.

Simulac vero ventriculi inflammatio, per sua signa §. 957. praesens cognoscitur, statim larga sanguinis missio, in corpore potissimo plethorico ex brachio celebranda eaque si opus in morbi augmento repetenda. Haec vero nocet ubi jam in suppurationem abire animadvertitur inflammatio, aut ubi a metastasi est orta inflammatio.

§. 969.

Missio sanguine, omni quadrante horae, parvissima copia exhibeantur lenissima liquida, ne ventriculus inflammatus irriteretur, omniaque symptomata exacerbentur. Profunt in hunc finem, serum lactis recens, decocta hordei, avenae panis, addito vitello ovi: juscula quoque ex carne pulli parata, valde diluta in cujus libra una, grana decem, vel duodecim nitri, dilui possunt.

§. 970.

Eadem diluentia et attenuantia, humoribus circulantibus per venas bibulas intestinorum commode miscentur, per clysmata saepe applicata, diuque retenta, simul quoque per balnea, fomenta et epithemata emollientia et discutientia.

§. 971.

§. 971.

Ubi vero ex inflammatione fatis valida, nec tamen pessima, atque ex signis resolutionis deficientibus, nascitur suspicio, inflammationem jam abire in suppurationem, tunc quidem ea in usum vocanda remedia sunt, quae vomicam emolliunt atque ad citam rupturam disponunt.

§. 972.

Abcessum vero emolliunt et ad rupturam disponunt citissime, omnis generis decocta emollientia, imprimis, ex althea, malva, floribus sambuci et semine lini parata. Haec parca copia sed haustibus saepe repetitis dare oportet.

§. 973.

Si pus multo saepe sanguine, ex vasis ruptis et eros, stillante, remixtum, per os vel alvum excernitur, abcessum jam esse ruptum novimus. Idecirco tunc quidem remedia detergentia et dein consolidantia in usum vocanda. F. 944.

§. 974.

Ne vero consolidatio ulceris impediatur, cibi tunc quidem, paucissima copia ingeri debent, alias facile distenditur ventriculus, et partes, quae coire inceperant, denuo distrahuntur. Pro sustinendis viribus, in hac conditione morbi sufficiunt, juscula carniū tenuiora, cum oryza hordeo, et pane cocta, vel sola enemata emollientia, nutrientia.

§. 975.

Ubi ex chronicis abdominis doloribus, ab ingestis quibuscunque exacerbatis, cognoscimus, tumores scirrhosos, ventriculum aut loca vicina,

occupare: loco victus exhibeantur, jura carniū dilutiora, vitelli ovorum, cremores hordei, avenae, et similia. Si adhuc recens est scirrhus, fapo venetus, ad drachmas duas quotidie per plures menses, et aquae medicatae selteranae aut spadanae, sumta, solamen aliquod afferre solent. Si vero ab his dolores augeantur, atque signa imminentis gangraenae adsint, inevitabilem tunc quidem mortem instare novimus.

Monita practica.

§. 976.

Male, cum aegris, hoc morbo afflictis, agitur, si dolores atque vomitus, opiatis sopiantur. Quaevis enim opiata, praesente inflammatione, data, facile gangraenam inducunt.

§. 977.

Stomachica amara et aromatica spirituosā in hoc morbo, exhibere, aequè periculosum est, ac vomitum ex inflammatione ortum, vomitu curare. Utraque medendi inethodo, inducitur gangraena.

§. 978.

Vitanda quoque sunt omnia irritantia, inprimis emetica, purgantia, salia digestiva, majori dosi exhibita, et nitrosa.

§. 979.

Inflammatio ventriculi, a suscepto, miasmate contagioso, saepe ab initio praecavetur, dum lene vomitorium ex ipecacuanha porrigitur, et postea octo vel decem guttulae, olei bezoardici WEDELII, ex oleo amygdalarum dulcium, un-

cia una et camphorae drachma, parati, interne propinentur.

§. 980.

Inflammationem ab initio, egregie mitigant et solvunt:

I.

R̄. Acet. rosac. ℥ij.
 spir. Vin. camph. ℥ij.
 Essent. croc.
 castor ana ℥i.
 spir. nitr. dulc. ℥℥.

M. D. S. Epithema tepide praecordiis, applicandum.

2

R̄. Olei amygdal. dulc. ℥ij.
 camph. ℥i.

M. D. S. Linim. cum quo praecordia frequentius inungenda et inponenda uncto loco, lintea calida.

SECTIO XII.

DE ENTERITIDE SIVE INFLAMMATIONE INTESTINORUM.

Theoria morbi.

§. 981.

Si obstructioni arteriolarum, per membranas intestinorum distributarum, accedit febris acuta continua, inflammari intestina, intelligimus.

§. 982.

Signa, quae praesentiam morbi, manifestant, praecipua sunt: febris acuta, continua, sitis ingens, aestus magnus, dolor acutissimus ardens et fixus in parte adfecta, urina flammea, pulsus durus, debilitas magna subitanea, alvus ut plurimum clausa, nausea saepe et vomitus.

§. 983.

Quae, portio intestini, inflammatione detineatur, ex loco doloris, atque situ intestinorum, aliqua cum probabilitate determinari potest. Idcirco

- 1.) Si dolor acutus inflammatorius occupat medium abdomen circa umbilicum, intestina tenuia inflammata esse, conjicitur.
- 2.) Si dolor et ardor sentitur supra umbilicum, et sub ventriculo, cum febre nausea et vomendi conatu, ille tractus coli, qui infra stomachum a dextro, ad sinistrum latum porrigitur, si vero in dextro hypochondrio sub costis spuris acutissimus dolor inflammatorius urget, ejusdem intestini principium, eo in loco ubi ileo committitur, inflammatione detinetur.
- 3.) Dolor quoque in latere sinistro sub lumbis, ubi psoas musculus est situs, coli et mesocoli inflammationem haud obscure indicat.
- 4.) Quibus in osse sacro, dolor inhaerescit, cum continuo et molesto tenesmo, stranguria, saepe quoque urinae suppressione, iis rectum intestinum esse inflammatum suspicio est.

§. 984.

§. 984.

Causae tam proxima quam praedisponentes generales inflammationis, et hic locum habere, facile patet. Occasionalium vero praecipuae sunt: omnia acria, sub cibi vel potus, et medicamenti, titulo, ingesta, in plicis intestinorum valvulosis, haerentia; materia acris, ichorosa, cancrofa, ex aliis visceribus, metastasi ad intestina delata: spasmi et convulsiones intestinorum e.g. a materia podagrica retenta, vel a doloribus hystericis, hypochondriacis, diu adfligentibus, nati: scybala duriora diu retenta: hernia incarcerata, et similia.

§. 985.

Quamprimum ex causis §. 904. nascitur inflammatio tubi intestinalis: intestina mox spastice contracta transitum appulsi, impediunt. Oritur hinc alvi obstructio atque inflammatio, tenesmus, vomitus continuus, citius vel tardius, prout superius vel profundius haeret inflammatio. Tandem, si medela, locum non habet, motus peristalticus, retrogradus, singultus, convulsio, sudor frigidus, deliria, et alia gangraenosae corruptionis, mortisque instantis signa apparent.

§. 986.

Quoad prognosin: minus periculosa est intestinorum crassorum inflammatio, quam ea, quae tenuia occupat intestina — Facilior quoque curatio est intestini recti, quam coli, cum topica facilius recto, applicari possint, faciliusque blanda subcruenta dysenteria biliosa solvatur. — Suppuratio vix non semper periculosa est. Si enim pus funditur in cavum abdominis, multa immedicabilia producit mala. Si pus cavum in-

testinorum penetrat, interdum dysenteria purulenta servantur aegri. Si vero pus in sacco diu inclusum, tenuius et acrius redditum, a venis bibulis, resorbetur, cacochymia purulenta et tabes, sequuntur. — Gangraena ex signis suis cognoscenda nullam admittit medelam, sed semper lethalis est. — Scirrhus non nisi palliativam admittit curationem et in se insanabilis gravissima mala producit.

Modus sanandi.

§. 987.

Quamprimum, inflammatio intestinorum per signa sua praefens, cognoscitur §. 982. 983. citissime ea omnia in usum vocanda auxilia, quae in hoc morbo profuisse experientia docuit. Hinc omnium primo copiosa sanguinis missio ex brachio, administranda, eaque pro ratione febris, doloris, aliarumque symptomatum urgentium pluries repetenda.

§. 988.

Missio sanguine, mox clysmata mollia, ex decocto furfurum triticorum, chamomillae, feminis lini contusi, cum oleo olivarum et melle, ad eluendum id quod crassa inprimis gravat intestina, ter quater de die injicienda. Egregie quoque enemata sic parata dolorem leniunt, partesque strictas laxant.

§. 989.

Ad acrimoniam in intestinis haerentem, enervandam, decocta mollissima F. 149. 150. et similia in pleuritide commendata, assiduo calide haurienda.

rienda. Ubi acidum acre in intestinis haeret, absorbentia et enervantia, ubi vero putrida materia praesens cognoscitur, acida et acescentia multa aqua diluta, profunt.

§. 990.

Cum spasmus, semper intestinorum inflammationem comitari solet, ad mitigandos dolores et spasmos nimios, nullum datur potentius remedium quam opium convenienti dosi exhibitum. — Laudanum liquidum SYDENHAMI ad guttas duodecim vel sexdecim, et massa pillularum de cynoglossa ad grana duo cum extracto cascarillae in pillulas redacta, saepe profuisse compertum habemus. Non vero conveniunt opiata, nisi praemissa fuerint, sanguinis missio, et clysmata emollientia antiphlogistica.

§. 991.

Sub usu horum remediorum, non negligenda sunt, fomenta emollientia, ex decoctis specierum emollientium, cum tertia parte olei cocti, chamomillae, in qua, parum camphorae solutum fuit, permixtis, quibus abdomen a cordis scrobiculo ad pubem usque assiduo fovendum.

§. 992.

Quamvis medela haec, per venae sectionem, clysmata et fomenta, justo ordine fuerit adhibita, fieri tamen saepe solet, ut praeter inflammationem, simul adsit obstaculum, quod caxum intestinorum obstruit et ideo liberum ingestorum transitum per fistulam intestinale inpediendo, salutationem non admittit. Haec itaque obstacula, sunt removenda, ut curatio fieri possit.

§. 993.

Quando obstaculum hoc , fieri observatur , a solo tumore inflammatorio , ea remedia in usum vocanda sunt , quae modo fuerunt proposita , neque ulla acria irritantia adhibenda. — Quando vero materia quaedam haeret in cavo fistulae intestinalis , sive ante morbum , sive etiam durante inflammatione , accumulata , vel si volvulus sive mutuus intestinorum ingressus adesse cognoscitur , illa loco moveri , hic vero extricari debet , ut libera per intestinum via restituatur.

§. 994.

Varia , pro expedienda alvo , a medicis tentata fuerunt remedia , sed non semper felici successu. — Alii obstructiones contumacissimas alvinas , adgressi sunt , globulis plumbeis deglutitis , alii omnem spem posuerunt in mercurium vivum , cujus libram dimidiam vel integram deglutiendam exhibuerunt , ea tamen cum cautela , ut prius dederint jusculum pingue , et post sumtum metallum , carnis brodium cum aliquot uncis amygdalarum dulcium.

§. 995.

Cum signa pathognomica deficient , ex quibus cum certitudine concludere possimus , an volvulus adsit , et si adest , an pars superior in inferiorem , an inferior in superiorem , intrusa sit , eventus horum remediorum semper fallax erit , imo eo in casu ubi pars superior intestini intraverit inferiorem , vix non semper lethalis. Metalla haec igitur , tantum in casu desperatissimo , adhibenda esse arbitramur.

§. 996.

Nos quidem, in relaxanda saepe pertinacissima alvi adstrictione, sequenti modo procedendum esse, existimamus:

- 1.) Leniora cathartica, ex tamarindis, rhabbaro, foliis fennae et sale medio, parata, et enemata similia, frequentius in usum vocanda. — Si haec incassum fuerint adhibita, tunc quidem, praemissa cura antiphlogistica, fortiora purgantia, divisis dosibus, et enemata, ex quadrupla dosi purgantium, parata, injicienda. Inter efficacissima quoque remedia SYDENHAMUS, aliique referunt, fumum nicotianae praestantioris, per instrumentum a HEISTERO delineatum (Vid. Instit. chirurg. Pars II. pag. 1102.) in intestinum rectum validissime insufflandum.
- 2.) Oleum quoque lini recens purum et pelucidum, in alvi adstrictione pertinacissima relaxanda, mire profuisse, crebra nos docuit experientia. Unciae ejus quatuor aut sex ut plurimum aegro propinantur, ita ut omni hora aut bihorio cochleare cum calido potu, maxime cum cerevisia calida sumat. Facilius effectum suum, simplicissimum hocce remedium praestat, si usui ejus adjungantur clysmata cum stimulo salino et oleo parata.
- 3.) His omnibus incassum adhibitis remediis, saepe cum successu, interne exhibita fuit aqua frigidissima saepe de die ad duos cyathos, corpore et pedibus bene tectis. Crura quoque et femora; aqua frigidissima, singulis

gulis minutis perfundere et totum abdomen linteis, frigida inbutis, involvere jubent autores. His factum saepe est, ut aeger tormina prius acutiora expertus, post breve tempus, liquidam alui solutionem satis largam, habuerint.

§. 997.

Si observatis his omnibus §. 987. symptomata ad quartum usque diem, eadem vehementia persistunt, atque dolore acuto imminuto, jam horror vagus, dolorque obtusus cum gravitate, abscessum factum esse indicant: tunc quidem:

- 1.) enematis emollientibus crebro injectis, atque decoctis similibus assatim haustis, intestina laxentur et emolliantur, quo facilius puri concilietur exitus per cavum intestinorum.
- 2.) Quando pus per alvum cum aliquo doloris levamine exire observatur, infusa vulneraria ex herbis agrimoniae, veronicae, virgae aureae, hyperici et similium, addito melle, sunt adhibenda, ut locus ulcerosus detergatur et ad consolidationem disponatur.
- 3.) Caveat sibi aegrotus in hac morbi conditione, ne utatur cibus, qui dant excrementa crassa et dura. Solis utatur jusculis carniū dilutioribus, fero lactis, et infusis vulnerariis. Nocet lac, quia acescit et foeces dat crassas.
- 4.) Aquae minerales ferratae, leniter adstringentes, ut sunt spadanae et pyrmontanae, consolidationem egregie juvant.

§. 998.

Gangraena, ex signis generalioribus, inprimis vero ex dysenteria foetida ichorosa, livida, nigra, et excrementorum involuntaria dimissione, cognoscenda, vix ullam admittit medelam, sed lethalis, ut plurimum est. Omne quod ars valet, in eo consistit, ut remedia modo proposita, ad separationem in ambitu loci gangraenosi, promovendam, adhibeantur, atque largiori, eoque diu continuato usu corticis peruviani, corruptionis ulterior progressus, sistatur.

§. 999.

Scirrhus tandem, qui praeter signa generaliora, se manifestat, stupore, gravitateque in loco adfecto, atque exacerbatione notabili symptomatum, post cibum copiosorem assumptum raro vel nunquam medelam admittit. Tolerabile redditur malum, tenuissimo et mollissimo victu, et evitacione eorum omnium quae irritando scirrhum in cancerum insanabilem convertere queant.

Monita practica.

§. 1000.

Obstructionem intestinorum inflammatoriam, eorundemque spasmodicam constrictionem per remedia purgantia valentiora, adeo augeri posse, ut sequatur gangraena, experientia quotidiana confirmat. Ab iis igitur sedulo abstinendum esse, quilibet rei peritus facile intelligit.

§. 1001.

Clysmata, quae magni usus, in hoc morbo esse observantur, lenissima sint ne stimulo malum ad-

adaugeant. F. 151. In periculoso morbi statu inflammatorio, quoque acetum cum calida mixtum, et sub forma clysmatis injectum, profuisse experientia docet.

§. 1002.

Teste PRINGLIO vesicatoria, mox a principio morbi, loco dolenti, applicata, magnam praestant utilitatem. — Quando auxilium supra indicatis §. 987. 988. 989. febris, dolor et spasmus, sunt consopita, tunc in locum relaxantium et emollientium substituenda sunt nervina et roborantia, inprimis, tinctura et sal succini.

SECTIO XIII.

DE

CYSTITIDE SIVE INFLAMMATIONE VESICAE.

Theoria morbi.

§. 1003.

Si obstructioni vasorum arteriosorum, per tunicas vesicae disperforum, jungitur febris, acuta continua, vesicam tunc inflammatione esse adfectam, cognoscimus.

§. 1004.

Signa, quae praesentiam hujus mali, manifestant, praecipua sunt, febris acuta cum multo aestu: dolor ardens pressorius infra perinaeum, supra pecten saepe usque ad umbilicum ascendens; ani constrictio: frequens desidendi cupiditas: diffi-

difficilis et continuo urgens urinae exclusio, quibus saepe accedunt, delirium, vomitus biliosus, et extremorum frigus, ceu symptomata, a spasmo vesicae pendentia.

§. 1005.

Causa proxima hujus inflammationis est eadem, ac reliquarum inflammationum, nempe sanguinis vel feri impuri stagnatio, in ultimis per membranas vesicae, dispersis arteriolis, et inde orta, valida spasmodica ejus constrictio.

§. 1006.

Inter remotas vero ejus causas, imprimis referuntur: sanguinis excretiones naturales per menses et haemorrhoides vel deficientes, vel suppressae: gonorrhoea cujus sedes in prostata et vesiculis feminalibus est, intempestive per adstringentia, vel nimis acria et calida remedia tractata.

§. 1007.

Dividitur inflammatio vesicae, in veram et spuriam. *Vera* dicitur, quae a cruore sanguineo, in vasis arteriosis vesicae, accumulato, ortum habet. *Spuria* vero, quae a sero falso, acri inter vascula et febrillas nerveas, haerente, profiscitur et superficiem tantum vesicae occupat.

§. 1008.

Ut jam ad prognosin deveniamus, notandum: vesicae inflammationem veram, semper esse periculofam, imprimis, si a metastasi, vel a calculo renum, et vesicae originem habet. — Si primis morbi diebus, excretiones naturales cum levamine doloris succedunt, febrisque mitigatur, resolu-

solutione benigna, curatum iri morbum, concludimus. — Si vero testante HIPPOCRATE, neque ab urina, quicquam remiserit dolor, neque vesica molliatur, et febris continua fuerit, in primis circuitibus, morbi, aegrum moriturum esse, timor est.

§. 1009.

Nulla quoque spes salutis habetur, ubi febris acuta diu infestat atque urinae et alui secretio prorsus retineantur. — Si in suppurationem vertitur inflammatio, pus album, laeve et aequale, cum urina excretum, interdum quidem, si simul symptomata reliqua remittunt, spem faciunt sanationis, saepe vero exulceratio succedit, quae vel hectico calore necat, vel intestinum rectum, exedendo sibi viam per anum aut perinaeum facit.

§. 1010.

In curatione hujus mali, primaria medentis, intentio, eo dirigi debet, ut tempestive materia in vasis vesicae, immeabilis haerens, resolvatur et ad excretionem salutarem disponatur.

Modus sanandi.

§. 1011.

Si itaque constet, malum hoc imminere a fluxu menstruali vel haemorrhoidali suppresso, illico tunc quidem vena in pede secanda et ea adhibenda remedia, quae excretionem has revocare valent. — Ubi vero ab humoribus, acri lymphae, scatentibus, imminere cognoscitur, in corporibus, arthritide, rheumatismis et purpura chronica, adfectis, remedia tunc quidem acrimo-
niam

niam temperantia et diluentia, qualia sunt decocta temperatiora ex radicibus scorzonerae, chinae, graminis, et foeniculi, vel infusa theiformia, ex summitatibus millefolii, floribus, malvae, sambuci, cum lacte remixta, in usum vocanda, alvusque, rhabarbarinis et enematis aperta servanda.

§. 1012.

Si vero inflammatio vesicae ex signis suis §. 1004. praefens cognoscitur, tunc quidem:

- 1.) missio sanguinis mox celebranda, atque pro magnitudine doloris atque febris, crebrius repetenda.
- 2.) Decocta mollissima, antiphlogistica, copia magna, sed divisis haustibus exhibenda, qualia sunt serum lactis, aqua mellis et decocta supra indicata F. 149. 150. His omni bihorio emulsiones nitrosae interponi possunt. F. 152.
- 3.) Enemata emollientia, crebrius injicienda, exterius vero, pars adfecta, vesica decocto florum emollientium, vel oleo olivarum plena, assiduo fomentetur: vapores quoque, ex decoctis iisdem in sella perforata, ad partem adfectam admittantur et balnea aquae dulcis adhibeantur.
- 4.) Si urinae fluxus plane suppressus, symptomata pejora reddit, tunc quidem cathetere, educenda, ut detur tempus applicandi remedia inflammationem resolvantia.

§. 1013.

Si inflammatio vesicae in suppurationem abire, ex signis suis cognoscitur, ea tunc omnia observanda, quae supra §. 997. in simili casu praecipimus

pimus. Eadem §. 998. 999. circa gangraenam atque scirrhum sunt adhibenda.

Monita practica.

§. 1014.

Ad praescindenda vesicae vitia, nil efficacius deprehenditur, quam aquae minerales felteranae cum vel sine lacte, per multos menses, sub debito regimine, potae.

§. 1015.

Caveant sibi, vesicae morbis, obnoxii, ab usu lacticiniorum nimio, atque a vino rhenano aliisque, quae tartareum acidum habent, porro quoque, ab omni refrigeratione praesertim partium inferiorum, et ab opiatis, quibus nihil perniciosius in inflammationibus nervosarum partium deprehenditur.

§. 1016.

Praeter fomenta supra commendata, magni usus habetur, oleum amygdalarum bene camphoratum, pubi et perinaeo crebrius illitum. Si nimium dolores urgent, idem oleum cum liquore anodyno minerali mixtum, egregium praestat effectum. — In malo graviore, inflammatio saepe discutitur, auctiori nitri dosi cum croco et camphora remixta v. c.

℞. ant. diaph. non ablutum ʒʒ.
croci gran. V.
camphor. gran. II.

M. F. pulv. statim a principio fumendus.

§. 1017.

§. 1017.

Praeter remedia externa supra commendata,
sequentia laudantur.

1.

℞. Emplastr. attrahent. ℥i.
sperm. cet. ℥iij.
croc. et camph. ana ℥i.
M. F. Emplastr.

2.

℞. Ol. amygd. dulc. ℥i.
hyosciam. ℥iij.
camph. ℥i.
M. coque illine crebr. region. pubis et
perinaeum.

3.

℞. Ol. amygd. dulc. ℥iij.
Spirit. sal. amoniac. ℥i.
Camphor. ℥i.
Ungu. ex alth. ℥i.
M. F. Linim. quo inunge pub. et pe-
rinaeum.

SECTIO XIV.

DE UTERI INFLAMMATIONE.

Theoria morbi.

§. 1018.

Quando oppletioni vasorum arteriosorum, ute-
ri, accedit febris acuta continua, tunc qui-
dem, uterus inflammatus esse dicitur.

Z

§. 1019.

§. 1019.

Praeter signa, cuicumque inflammationi, propria, haec adhuc, uteri inflammatio habet, quibus praesentia ejus noscitur, nempe: continuus adest dolor ardens et pulsans in loco adfecto. Si anteriora uteri occupat inflammatio, ad pubem pervenit et urinae difficultatem causat. Si fundum adficit, alvus cohibetur, et lumbos dolore fatigat. Si in lateribus malum existit, inguina dolent, tumentque et pedes atque crura prae gravitate difficulter moventur. Si cervix tandem inflammatione tenetur, os uteri, digito admoto, durum tumidumque occurrit. — Si totus patitur uterus, periculosiora sunt omnia symptomata, caput vehementer dolet, abdomen tumet et tensum est: urina et foeces non nisi cum dolore excernuntur. Aegra neque sedere, neque surgere, pedibusque ingredi, nisi summa difficultate potest. Respiratio est gravis, sequuntur, deliria, convulsiones, extremorum frigus, mors.

§. 1020.

Causa proxima inflammationis uteri, est sanguinis stagnatio in ultimis vasis arteriosae per substantiam uteri dispersis. Huic vero stagnationi occasionem dant: aer frigidus tempore menstrui fluxus, vel lochiorum, genitalibus, inprovidè admixtus, animi adfectus vehementiores, potusque frigidus, tempore excretionum harum salutarium, uterum spasmò adficientes. Uterus a quacunque causa externa, persertim in partu laborioso, laesus, vel irritatus. — Foetus vel secundinae relictæ et corruptæ.

§. 1021.

Quoad prognosin haec nobis imprimis notanda esse, videntur, nempe:

1.) si

- 1.) si in corpore ceteroquin sano, inflammatio superficialis est, atque debito tempore evacuationes criticae per sudores, aliasque vias, sequuntur, vel etiam pus album leve, neque mali odoris cum levamine symptomatum, per uteri cervicem excluditur, spes sanitatis recuperandae habetur.
- 2.) Rem vero in periculo esse indicant: violentior inflammatio absque signis coctionis et excretionis, ultra diem quartum excurrens, pus per uteri cervicem exclusum, virulentum male olens, et multis coloribus variegatum: singultus, deliria, convulsiones, extremorum frigus: purpura maligna alba.
- 3.) Aequè periculosum eventum indicant, scirrhus, qui tandem vel in carcinoma lethale transit, vel hydropem immedicabilem producit; Pus in cavum abdominis effusum, quod viscera lento modo consumit et tabem lethalem inducit.

Modus sanandi.

§. 1022.

In persananda inflammatione uteri, iisdem remediis resolutio humorum stagnantium tentanda, quae in inflammationibus aliorum viscerum, profuisse docuimus. Inprimis vero ad restituendum fluxum menstruum et lochiorum omnis cura adhibenda.

§. 1023.

Si itaque febris intensior urgeat, vitaeque vires sufficiant, statim sub morbi accessu, uteri purgamenta optime revocantur, missione sanguinis in pede instituta. Hac facta statim in usum

vocentur ea quae sanguinem stagnantem resolvunt et mobilem reddunt. F. 39. 40. 41. 44. 75. Clysmata ex fero lactis cum melle et nitro crebrius injiciantur et fomenta ex emollientibus parata, applicentur. F. 141. 142. Si aestus febrilis non adeo urget, pillulae BECCHERI vel STAHLII vel purgantia antiphlogistica inflammationi solvendae, egregiae inserviunt.

§. 1024.

Si ex signis pateat, inflammationem non resolvi sed potius in suppurationem verti, tunc quidem omni biduo vel triduo, purgante antiphlogistico ex tamarindis, rhabarbaro et manna, adfluxus ab utero avertatur, decocta purificantia abstergentia supra commendata cum melle remixta F. 153. crebrius in uterum injiciantur, atque simul potus ex purificantibus et roborantibus affatim hauriantur F. 154. observatis simul iis quae supra profuisse docuimus §. 1023.

§. 1025.

Si tandem, uterum, ulcere cancroso, consumi, signa doceant, insanabile quidem habetur malum, magnum interim levamen attulisse observantur: potus aquae selteranae cum lacte afinino: injectio lactis cum anatica portione aquae florum sambuci et parum croci, mixta balnea aquae dulcis cum furfuribus triticis parata.

§. 1026.

Si scirrhus uterum occupat, pillulae ex sapone, gummi ammoniaco, et scilla, item mercurius, atque antimonium auratum F. 148. tentanda, et simul accuratum vitae regimen, observandum.

Monita practica.

§. 1027.

Cum longe facilius sit, inflammationem uteri praecavere, quam eam perfanare: post partum inprimis haec observanda esse censemus, nempe:

- 1.) Ad praescindendas spasticas stricturas, lochiaque secundanda, praeter regimen temperatum diaphoreticum, oleum amygdalarum recentissimum, ad unciam quotidie cum jusculo pulli gallinacei, vel avenaceo, exhibeatur, atque abdomen externe, frequenti linimento inungatur et mappula complicata calefacta tegatur.

℞. ol. aneth.

chamomill.

Lilior. ana unc. i.

carv. drachm. ii.

camphor. drachma unam.

M. D. S. Linimentum.

Fluxus dein pillulis STAHLIANIS vel BECCHERIANIS ad grana quindecim vesperi per aliquot dies exhibitis placide promoveatur.


2. Si summus aestus post partum urget, neque lochia fluunt, praeter missionem sanguinis, enemata emollientia mox injicienda atque dein temperantia nitrosa; si spasmus vero nimius, cum aliquot granis castorei, remixta, et infusum chamomillae cum oleo amygdalarum dulcium, exhibenda.

§. 1028.

Omnia pellentia calida, qualia sunt, myrrha, crocus, aloe, porro quoque aromatica et salina stimulantia, post partum nocent. Nocet quoque

HAEMORRHAGIAE





CAPVT III.

DE

HAEMORRHAGIIS IN GENERE.

Theoria morbi.

§. 1032.

Omnis sanguinis rubri, excretio, e corporis humani partibus facta, ex quibus, naturali sancita lege, vel profus non, vel certe non nimis copiosus, ejici debet, dicitur *haemorrhagia*.

§. 1033.

Quae haemorrhagiae sponte a natura fiunt, dicuntur *internae*: quae vero a causa quacunque laedente externa, oriuntur, *externae* vocantur. Hae imprimis pertinent, ad chirurgiam: illae vero, quae ab internis proficiscuntur causis, a nobis nunc examinandae sunt.

§. 1034.

Causam proximam cujuscunque haemorrhagiae, consistere in continui laesione, facile quisque intelligere potest. Continui laesio, fieri solet, dum vel vasa sanguinea rumpuntur, vel eroduntur, vel tandem ultra diametrum naturalem dilatantur. Triplex haec vasorum conditio, quae ab autoribus, nominibus, diaeresi, diapidesi, et anatomosi, insignitur, sanguinis effusionem plus minus copiosam efficit.

Z 5

§. 1035.

§. 1035.

Ad triplicem hanc sanguinis effusionem disponunt: vasorum partis adfectae laxitas, vel nativa, vel a quibuscunque causis inducta: sanguis dein abundans, dissolutus, acris, vel crassus.

§. 1036.

Occasionalium causarum, munere fungitur, omne id, quod inpetum humorum in partem adfectam determinare valet. Inpetus sanguinis in partem adfectam augetur, inprimis, a materia acri in loco adfecto haerente, et adfluxum stimulo suo alliciente: a motu humorum, auctiori: a spasmo partium extremarum: ab obstructione aliarum partium. Una vel altera conditione posita sanguis in vasa relaxata et ideo minus resistentia, majori vi irruens, per rupta erosa, dilatata vasa, facile prorumpit.

§. 1037.

Ad has causas proinde referri possunt: aer rarus in summo gradu, calidus: motus corporis nimius: potus largior spirituosus: gravior animi adfectus: nifus quicunque corporis fortior, ad pondera tollenda, susceptus; medicamenta calida: diaeta lauta calida acris: refrigerationes partium externarum praesertim, pedum: excretiones sanguineae consuetae, suppressae: viscerum obstructiones et multa alia.

§. 1038.

Praesentia, haemorrhagiae facile cuilibet patet. An vero ex ruptis vel dilatatis vasis proveniat, difficilius determinandum. Signa interim quibus distinguitur species prior ab altera, est dolor

lor praecedens tendens, et gravans, notabilior: copia sanguinis effusi major: febris inflammatoria subsequens; recursus frequentior.

§. 1039.

Cuilibet, experientia notum est atque perspectum, haemorrhagias, consueta naturae lege, secundum diversas aetates, differre. Sic enim haemorrhagia narium, pueris et adolescentibus: haemoptoe juvenibus: haemorrhoides viris: mictus cruentus, senibus, familiaris est. Foeminis quoque, quibus catamenia sunt suppressa, familiaris est haemoptoe et vomitus cruentus. Quae, hoc naturali ordine non contingunt, haemorrhagiae, contra leges naturae fieri dicuntur.

§. 1040.

Ut jam ad prognosin deveniamus, haec nobis notatu digna esse videntur:

- 1.) Haemorrhagiae, quae fiunt ex dilatatis vasis lateralibus, minus periculosae sunt, quam eae, quae ex ruptis vasis copiose procedunt, atque febrem inflammatoriam; comitem habent.
- 2.) Minus discrimen quoque habent haemorrhagiae, quae ex locis consuetis, quam quae ex minus consuetis, contingunt. Quae secundum naturae ordinem fiunt §. 1039. minoris periculi sunt quam illae quae contra naturae leges succedunt.
- 3.) Quae porro ex abundantia humorum proniscuntur, spem faciunt, salutis. Periculum vero adferunt, eae, quae vel ab acrimateria, praesertim a metastasi excitantur vel quae ab obstructione visceris cujusdam, ut: hepatis, lienis, pulmonum, originem suam

suum habent. Has enim sequuntur saepe, cachexia, hydrops, morbus niger HIPPOCRATIS, hectica et alia mala.

- 4.) Omnes profusiores haemorrhagiae, siquidem vires corporis, exhauriunt, morbos varios chronicos, ut hydropem et febres lentas post se trahunt.
- 5.) Ex haemorrhagia nimia, animi deliquium, desipientia, singultus, convulsio communiter lethalia sunt.

Modus sanandi.

§. 1041.

Sanationem haemorrhagiae suscipienti, omnium maxime incumbit, ut rationem victus, et regimen probe determinet. Necessè itaque est, ut aeger in aëre versetur temperato, frigidiusculo; ut ab omni corporis motu abstineat, situmque eum corporis eligat, quo pars adfecta, a sanguine affluente, minus urgetur et tandem, ut, ab omni meditatione, curis, et animi adfectibus, quibuscunque sollicite, sibi caveat. Victus, quo utitur, sit parcius, vegetabilis facile digerendus, et nutriens, potus vero, aquosus farinaceus, acidulus, subfrigidus.

§. 1042.

Cum variae sint causae, quae continuatam, vasorum solvunt, atque ideo, haemorrhagiam efficiunt, varia quoque esse debet, curationis indicatio. — Inprimis vero vasorum sanguinem plorantium, coarctatio atque consolidatio inpetratur: 1.) si abundantia et inpetus sanguinis minuatur: 2.) acrimonia varia corrigatur: 3.) irri-

3.) irritamentum in parte adfecta haerens, tollatur: 4.) spasmi sopiantur et 5.) obstructions referentur.

§. 1043.

Si itaque, haemorrhagiam, ex abundantia sanguinis, ejusque inpetu nimio, ortam fuisse, cognoscimus:

- 1.) Mox ab initio, venaesectio, in loco, a parte adfecta, remotiori, instituenda, et si febris subsequens inflammatoria id exigat, repetenda.
- 2.) Remedia, nitrosa, acidula, ad conpescendum sanguinis orgasmum, exhibenda. F. 33. 38. 52.
- 3.) Pediluvia, enemata, externarum partium frictiones, et ligaturae, fofus quoque et balnea ad derivandum inpetum sanguinis, a parte adfecta, repetitis vicibus applicanda.
- 4.) His prius adhibitis, atque profluvio sanguinis jam mitiori facto, leniora adstringentia, et roborantia, qualia sunt: cortex peruvianus, cascarillae, infusum millefolii, alchymillae, rosarum rubrarum, pyrolae, item terra japonica et sanguis draconis, in usum vocanda.

§. 1044.

Quae haemorrhagia, ab acrimonia sanguinis, vasa sanguinea rodente, proficiscitur, iisdem quidem, si nimium excedat, tractanda, remediis: praecipue vero in usum vocanda, remedia demulcentia, lactea, serum lactis et decocta ex emollientibus parata, olea quoque recens expressa.

§. 1045.

§. 1045.

Si stimulus aliquis in parte adfecta haerens, vel etiam spasmi aliarum partium, remotiorum, adfluxum sanguinis ad partem adfectam sustentare, observantur, praeter auxilia modo indicata §. 1042. 1043. simul in subsidium vocanda sunt opiata, ut v. c. massa pillularum de cynoglossa, vel laudanum liquidum versus noctem, in haustu lactis, exhibenda.

§. 1046.

In haemorrhagia, ab obstructione, et induratione visceris cujusdam, pertinaci, nata, praeter remedia §. 1043., ea inprimis adhibenda, quae obstructum resolvere valent. Huc vero pertinent, sapones, gummata resolventia, et infusa diluentia. Si remediis his diu continuatis, obstructio non solvitur, haemorrhagia insanabilis est. Quae a menstruis vel haemorrhoidibus suppressis oritur haemorrhagia, non curatur nisi fluxu restituto.

Monita practica.

§. 1047.

Si signa verae plethorae sanguinae, adsint, et febris urgeat, venaesectio quidem instituenda, simul vero ita moderanda est, ne copia cruoris nimia subducta, vasorum sequatur inanitio, lipothymia et mors, aut febris suppuratoria prorsus supprimatur. — Quae per intervalla, nec adeo vehementer accedunt haemorrhagiae sine venaesectioe tutius curantur.

§. 1048.

Adstringentia interne data, in haemorrhagiis sistendis, vix desideratum praestare, effectum, imo saepe majora producere mala, multiplici experientia conpertum habemus. — Quae enim virtute adstringente pollent remedia ore assumpta, vel vasa lactea, venasque absorbentes constringunt, vel si cum largo vehiculo, systemati vasorum fuerint inducta, prius pulmonis vasa et alia, quae primo attingunt, stringunt, hinc inpetum sanguinis versus partem debilem augent. Idcirco ea nunquam durante haemorrhagia, tuto adhiberi posse, existimamus. — Consultius est negotium, hoc, soli committere naturae, sufficienti enim copia sanguinis detracta, et remediis antiphlogisticis adhibitis, sanguis ad orificium vulneris saepe concrevit, vulnusque obturat, quo fit ut labia vulneris se contrahant, atque ita ulteriorem eruptionem sanguinis sistunt.

§. 1049.

Cum opium, circulum humorum manifeste adaugeat, sanguinemque rarefaciat; illud potius, haemorrhagias, ab aestuante sanguine, oriundas, proritare et augere, quam coercere, facile patet. Rationali proinde theoria, instructi medici, ab usu ejus in sedandis haemorrhagiis, prorsus abstinent, neque illo utuntur unquam nisi eo in casu, ubi spasticae partium remotarum stricture, sanguinem ad partem adfectam copiosius determinantes, vel stimulus in loco adfecto haerens, id ita exigere videantur. His solis praesentibus conditionibus, praemissis remediis sedantibus, opium haemorrhagiarum sanationi quadrari et
conve-

convenienti dosi adhiberi posse, experientia et ratio confirmat.

S E C T I O I.

DE HAEMORRHAGIA NARIUM.

Theoria Morbi.

§. 1050.

Sanguinis rubri, profluvium, ex naribus, nomine *haemorrhagiae narium*, insigniri cuilibet, notum est.

§. 1051.

Narium haemorrhagia, a medicis dividitur, in symptomaticam, criticam, et idiopathicam. *Idiopathica*, dicitur, quae homines extra morbos constitutos, vel periodice, vel incertis temporibus, adfligit, et ideo primarium constituit morbum, *symptomatica* quae extra dies criticos, malo plerumque eventu, aliis morbis e.g. febribus malignis vel etiam hecticis et phthisicis accedit. — *Critica* vero, quae post coctionem materiae morbosae, absolutam, copiosa sanguinis excretionem, morbum solvit.

§. 1052.

Cum de critica et symptomatica, narium haemorrhagia, jam in consideratione praecedentium morborum acutorum, satis fuse, egerimus, hic tantum de idiopathica verba facere, ratio instituti postulat.

§. 1053.

§. 1053.

Imminentem narium haemorrhagiam praefagiunt: capitis vertiginosa afflictio, cum sensu gravativo, imprimis circa radicem nasi: oculorum dolor gravativus, cum prominentia et scintillis: arteriarum in collo et temporibus fortior pulsatio: faciei rubor ejusdemque inflatio: tinnitus aurium: insomnia turbulenta: nares interius prurientes siccae calidae, in partibus remotioribus simul praecedunt, alvi siccitas, urinae imminutio et tenuitas, tensio in hypochondrio praesertim dextro, partium inferiorum frigus.

§. 1054.

Causam narium haemorrhagiae proximam, in ruptura sive distensione nimia eorum vasorum consistere, quae per tunicam pituitariam, os vomeris, spongiosa et ethmoidea ossa, investientem, excurrunt, facile patet §. 1053.

§. 1055.

Ad hanc maxime disponunt: sanguis abundans, spissus, tenuis, acris: laxitas vasorum eorum quae per membranam pituitariam distribuuntur, vel nativa vel ab aliis causis, inducta.

§. 1056.

Ex signis §. 1053. facile quoque intelligitur, omne id, causae occasionalis munere fungi, quod sanguinis motum, circulatorium augere, et versus caput determinare valet, ut v. o. potus spirituofus, nimia corporis exercitatio, praesertim in aere calido, excretiones sanguineae consuetae, suppressae: spasticae stricturae in infimo ventre, atque partibus remotioribus; viscerumque sanguineorum infarctus et obstructio.

§. 1057.

Quoad prognosin inprimis, notandum:

- 1.) Narium haemorrhagia, quae moderate, in plethoricis junioribus, accidit, sine periculo est, et corpori alacritatem adtert.
- 2.) Nimia et saepe repetita, vires corporis consumit, et ad cachexiam et hydropem et tabem, disponit, praesertim in subjectis debilioribus.
- 3.) Pueri, quibus haemorrhagiae frequentes sunt, accedente juventute, pectoris morbos, ut haemoptysin, pleuram, peripneumoniam et phthisin, in proVectiori aetate vero haemorrhoidalem fluxum, et adfectus rheumaticos et nephriticos facile incurrunt.
- 4.) Quae aetate minus congrua contingunt, haemorrhagiae §. 1039. narium, vix non semper labem cujusdam visceris comitem habent, hinc cachecticis, hydropicis et hypochondriacis, nil boni praesagit.
- 5.) Haemorrhagia critica, si fuerit larga, febres solvit, quae vero diebus criticis paucis guttulis tantum succedit, pejorem morbi statum indicat.
- 6.) Symptomata, febribus exanthematicis malignis, et chronicis superveniens semper periculum indicat.

§. 1058.

Quae haemorrhagia narium, congrua aetate, moderate et cum insequente corporis alacritate succedit, sponte cessat, nullaque proinde indiget medela. — Quae vero nimis copiose profluit, aetati minus congruae accedit, saepius recurrit, atque vires corporis exhaurit, auxilium medici requi-

requirit, quod secundum varias profluvii hujus causas est instituendum.

Modus sanandi.

§. 1059.

Quando ab inpetu nimio sanguinis abundantis, versus caput haemorrhagia narium orta, auxilium medici requirit, tunc quidem:

- 1.) In corpore robusto, vena in pede solvenda, in debili vero, viribusque exhausto, cucurbitae cruentae artubus inferioribus, applicandae.
- 2.) Omni dimidia hora, mixturae acidulae F. 156. 157. et similia F. 42. 51. 52. frigide exhibeantur.
- 3.) Inpetus humorum, a capite avocetur. Hoc fieri potest.
 - a.) *Ligaturis*, quibus brachia et femora, sub genibus, constringantur, quo sanguinis regressus ad cor retardetur.
 - b.) *Pediluvii* ex tepida, quo venae constrietae atque sic relaxatae, majorem copiam sanguinis, continere possint. Hoc fine quoque manus in tepidam immittantur.
 - c.) *Clysmatibus*, aquosis, tepidis, cum nitro, repetitis vicibus injiciendis.
 - d.) *Epithematibus* ex aceto et nitro, fronti, nuchae, temporibus et carpis, linteis complicatis, applicandis F. 158. Laudant in eundem finem, nonnulli, succum millefolii vel urticae minoris, fronti, applicandum.

§. 1060.

Si auxilia haec omnia, fluxum sanguinis non sistunt, urgente necessitate, praeter, remedia interna §. 1043. nō. 4. et F. 159. topica adstringentia sunt applicanda. In hunc finem, turunda flexilis, solutione, ex aquae fontanae uncia, et vitrioli albi drachma una, composita, probe inhibuta, tam profunde immittitur naribus, ut apex turundae os cribrosum attingat. Eadem turunda quoque spiritu vini, vel liquore anodyno minerali, rectificatissimo, imbui, et ejus apex pulvere agarici intingi potest.

§. 1061.

Praeter haec, in omni narium haemorrhagia, observanda auxilia §. 1059. ad causas quoque alias occasionales, probe attendendum. — Si itaque a stricturis spasticis, in imo ventre vel partibus extremis, profluvium sanguinis sustentatur, in casu primo, rhabarbarina cum sale polychresto et nitro remixta, et clysmata emollientia; in casu altero, vero, pediluvia tepida, opiatis sunt praeferenda. De reliquo omnia ea sunt observanda quae in praecedenti §. 1060. fuerunt laudata.

§. 1062.

Maximum artificium medendi haemorrhagiae narium consistit in eo, ut illa sopita semel, non facile redeat. Idcirco:

- 1.) Si ab abundantia sanguinis ortum traxerit: consultum est, a largo et nimis nutriente victu, abstinere, et parco vegetabili uti. Prodest quoque corpus sufficienti motu exercere, omniaque vitare, quae circulum humo-

humorum agitare possunt ut sunt omnia calefacientia, spirituosâ.

- 2.) Si ab acrimonia humorum, vasa narium sanguinea, erodente, hæmorrhagiam natam fuisse, cognoverimus: decocta demulcentia, ex herbis et radicibus mucilaginosâ, ut sunt, radix, graminis, scorzonerae, liquiritiæ, &c. porro quoque emulsiões, lac, serum lactis, per longum tempus, sub accurato vitæ regimine, in usum vocanda extra paroxysmum F. 160. 162. Profunt quoque in hac morbi conditione, aquæ seltæranæ cum lacte, per plures menses, hauriendæ.
- 3.) Si ab obstructione viscerum, originem habere, dignoscitur, omnis cura adhibenda, ut remediis solventibus et diluentibus, saponaceis, obstructum referatur, et circulus æquabilis humorum restituatur. Præter infusa diluentia et serum lactis, hic profunt, pillulæ ex saponè STARKEIANO et gummi amoniaco confectæ, elixirium CLAUDERI, et similia.
- 4.) Si a suppressis excretionibus naturalibus, præcipue menstruis et hæmorrhoidibus profluvium excitatur, omnis opera danda, ut remediis convenientibus, fluxus restituatur.
- 5.) Laxitas solidorum universalis, curatur; corporis mota, frictione: balneis frigidis, cortice peruviano, et marte. Particularis vero membranae pituitariæ laxitas, aqua frigida naribus sæpè attracta frontique applicata, curatur.

§. 1070.

Ex hac haemoptyseos¹ definitione, patet, ea tantum sputa nomine haemoptoes, venire, quae fiunt cum tussis, reliqua vero ex partibus, pulmonibus vicinis, originem habere.

§. 1071.

Facile proinde distinguitur, vera haemoptysis ab illa haemorrhagia, quae ex faucibus, praecedente titillatione, atque dolore et ardore circa uvulam, absque tussi fit; porro quoque ab illa sanguinis sputatione, quae a sanguine ex naribus in fauces delapso, solo screatu absolvitur et ut plurimum sanguinem grumosum sistit.

§. 1072.

Saepe fieri solet, ut sanguis, inter dormiendum, vel sub situ corporis reclinato, ex naso in fauces, vel ex faucibus in asperam arteriam delapsus, tussiculam excitet. In casu primo, os et fauces, aqua tepida bene eluantur, corpus situ erecto, capite versus anteriora parum inclinato, teneatur, et observetur an sanguis per nasum effluat et tussis cesset. In altero casu, os internum sollicitè considerandum an circa partes, quae fauces respiciunt, vasculum dilatatum, sanguinem stillans, cernatur. Sic facile patebit, unde sanguis, qui excreatur, veniat.

§. 1073

Distinguitur quoque facile vera haemoptysis, a vomitu cruento, in eo, quod in hoc sanguis congrumatus, nausea et dolore pressorio, circa scrobiculum cordis, praecedente, vomitu rejiciatur, cibus interdum mixtus; a sputo cruento vero in peripneumonia, in eo quod hic sanguis
pituita

pituita remixtus, praesente inflammatione rejiciatur.

§. 1074.

Vera haemoptysis sedem suam habet in ipsis pulmonibus, spuria vero in aspera arteria. Prior magnam sanguinis floridi et tenuis, ex arteriis pulmonalibus stillantis, copiam sistit, sine sensu doloris succedit, et facilius, citiusque cessat. Altera minori copia ex arteriis brachialibus plorantem exhibet sanguinem, coloris obscurioris et densioris, pituita remixtum, cum dolore aliquo in pectore, et diutius continuat.

§. 1075.

Diagnosıs ex dictis §. 1069. — 1074. facile patet. Sunt vero quoque signa, quae eam ut plurimum praecedere solent, inter quae praecipua habentur: partium extremarum strıcturae spasticae: pectoris oppletio cum aliqua difficultate spirandi: gravativa capitis oppletio: horripilationis sensus in extremitatibus: gravitas artuum: tussis pleurumque sicca: alvus adstrıcta, quibus demum accedit titillatio, modus undulatorius calidi ebullientis sanguinis, ejusque profusio.

§. 1076.

Cum sanguis in haemoptysi, ex vasis pulmonalibus effundatur; facile patet *causam proximam* ejus in laesıone horum vasorum a quacunque causa, inducta hunc vel in ruptura vel erosıone vel dilatatione nimia, consistere.

§. 1077.

Haec triplex vasorum laesıo, propria sua signa diagnostica habet, quae medicus practicus,

nosse debet, ut valeat de eventu morbi iudicium ferre atque medelam recte instituere.

§. 1078.

A *ruptura* haemoptysin factam fuisse novimus, si subito sanguis, larga copia exspuitur, praegressis caulis, quae vim magnam pulmonibus afferunt, ut ictus, lapsus, pondus magnum elevatum, validus clamor, iracundia magna, cursus vehemens.

§. 1079.

Ab *erosione* vasorum natam esse haemoptysin, intelligimus, si absque causa externa praegressa, tussis diuturna et irritans praecesserit, parca sanguinis copia exspuatur sed perpetuo vel saltim frequentissime repetens, et si dolor in thorace interno sentiat.

§. 1080.

Dilatatione vasorum pulmonalium vero, sanguinem de pulmonibus effundi, non frequenter quidem contingit, fieri tamen potest, ut praesente laxitate vasorum pulmonalium vel nativa, vel humido aëre diu inspirato, aliisque inducta, post menstrua, haemorrhoides, lochia, narium stillicidium consuetum, suppressa, vel post missiones sanguinis artificiales neglectas, sequatur.

§. 1081.

Ad hanc §. 1076. vero *disponunt*: aetas juvenilis: sanguinis abundantia, acrimonia, spissitudo, tenuitas, nimia: pectoris angustia ejusque mala conformatio: vasorum imprimis pulmonalium vel nativa vel a caulis variis inducta laxitas: suppressio excretionum sanguinearum consuetarum: infarctus atque obstructio viscerum abdominalium.

§. 1082.

§. 1082.

Ad *occasionales causas*, quarum ingens numerus esse solet, inprimis referuntur: vis quaecunque, magna, pulmonibus illata, per tussim vehementem diuturnam ferinam, respirationem vehementem in cornibus et tubis, clamorem, cantum, cachinum, cursum, nisumque corporis ingentem in tollendis et gestandis oneribus; commotiones animi vehementes, pectorisque violentiorem percussionem. Vestitus quoque, inprimis circa collum et pectus, nimis strictus, subitum et vehemens frigus, quod vasa pulmonalia stringit atque humores condensat, victus calefaciens aromaticus, balnea nimis calida, et alia.

§. 1083.

Quod attinet prognosin ad sequentia inprimis, omnis intentio est dirigenda; nempe:

- 1.) Haemoptysis, nunquam, ob teneram pulmonum substantiam, sine periculo est. — Quae fit a ruptura vasorum majorum, subitam quidem saepe infert mortem, si vero evaserint aegroti, major spes curationis adfulget quam in ea quae fit ab erosione vasculorum ulcus insanabile ut plurimum causante. — Minus periculosa est, ea haemoptyseos species, quae fit anastomosi vasorum. Si enim humores sint boni; vasa sanguinem plorantia proprio e latere facile se contrahunt, et haemorrhagiam compefcunt.
- 2.) Quae haemoptysis, phthisi pulmonali seu ulceri supervenit, pessima est, et si fuerit larga subito saepe necat.
- 3.) Quae accedit senibus, inprimis quae sequitur moerorem diuturnum profundum, ob-

stru-

structionem viscerum abdominalium, et dy-
crasiam humorum acrem, gravior semper
est atque periculosior.

- 4.) Ubi pulmones jam lae sunt adfecti v. c.
quando vomitis obsessi, vel magna pars va-
forum per scirrhum aut polypum obstructi,
nullus medicinae datur locus.
- 5.) Haemoptysis, quam sequitur puris sputum,
majori copia et diuturno tempore pergens,
ulcus pulmonum designat insanabile.
- 6.) Deliria, somnolentia, convulsio, singul-
tus, supervenientia, lethalia sunt.
- 7.) Oedemata pedum post haemoptysin, pro-
dromi hydropis, semper periculosa sunt, in-
primis si adstringentia et opiata praepostere
fuerunt adhibita.

Modus Sanandi.

§. 1484.

Cum in curatione haemoptyseos, eo in-
primis respiciendum sit, ut vascula pulmonalia fan-
guinem eructantia, se claudant atque coarctent:
facile patet, ea inprimis remedia, quae sanguinis
motum excedentem per vasa pacatissimum effi-
ciunt, eumque a pulmonibus revellunt, simul
vero humoribus blandissimam indolem praestant,
omne punctum sanationis efficere.

§. 1085.

Inpetuosior proinde sanguinis floridi, e pul-
monibus eruptio postulat, ut absque mora, suffi-
ciens sanguinis copia, constitutioni, aegroti re-
spondens, ex vena secta in pede, vel brachio de-
trahatur. Haec repeti potest, donec haemopty-
sis

sis aliquo modo remittat, aegrotus nullum in pectore sentiat dolorem, pulsus fiat aequalis tardus, non plenus, respiratio facilis et libera, atque calor totius corporis aequalis et minor quam in corpore sano.

§. 1086.

Inpetu et copia sanguinis per venae sectionem, imminutis, ad expansionem turgescentem ejus compescendam, praeter potum aquae frigidae, paulatim quidem sed sufficienti copia, tecto bene corpore, haustum, probatissimae virtutis sunt nitrosa et acidula vegetabilia, si saepius parca sed repetita dosi fumantur. F. 40. 41. 42. 48. 50. 156. etc.

§. 1087.

Sub usu horum remediorum quoque non negligenda sunt ea, quae affluxum copiosorem a pectore ad partes exteriores divertunt. Huic intentioni obtinendae satisfaciunt, inprimis pediluvia temperata, immisiones manuum in tepidam, clysmata antiphlogistica refrigerantia, laxantia quoque rhabarbarina, passulata tamarindinata, ligaturae partium extremarum, sinapismi, partibus corporis inferioribus applicati: aqua frigida vel pura vel etiam aceto rosaceo et nitro remixta, cum linteis complicatis, collo, temporibus, et carpis admota.

§. 1088.

His omnibus justo ordine adhibitis remediis internis et externis, eruptio sanguinis ut plurimum cessare solet. Si vero spasmus in partibus remotioribus, vel irritamentum, in pulmonibus, haerens, adfluxum sanguinis versus pectus favore observatur, omnis cura adhibenda ut spasmus so-

solvatur, tussisque nocentissima, haemoptoes gravioris comes, sedetur et praecaveatur.

§. 1089.

In hunc finem §. 1088. necesse est, ut praeter diaetam tenuem, blandam demulcentem inprimis lacteam et gelatinosam, atque abstinentiam ab omni corporis motu, imo a loquela, aeger oleo amygdalarum dulcium, inprimis vero, cujus effectum praestantissimum experientia, comprobatum habemus, oleo lini, recenter parato, cochleatim utatur solutio tragacanthae vel gummi arabici, in hac morbi conditione quoque profuisse novimus.

§. 1090.

Si haec, tussi placandae non sufficiant, ad opiata confugiendum esse putamus. Plus enim nocet aegro, clamosa tussis, quam rarefactio et circulatio auctior ab opio inducta. Tres igitur vel quatuor doses pulveris F. 161. nyctemeri spatio, vel diacodium ad unciam semissem et integram datum, aliaque similia, cum successu saepe fuerunt adhibita.

§. 1091.

Sedato sic sanguinis profluvio, curandum, ut vascula disrupta consolidentur. Haec vero consolidatio nec adstringentibus nec incrassantibus obtinetur, sed potius quiete, iisque auxiliis, quae humoribus blandissimam indolem praestant, tonumque partis adfectae restituunt. Ipsa namque natura tunc quidem sola consolidationem perficit.

§. 1048.

§. 1092.

Blanda humoribus conciliatur indoles, victu tenuissimo et blandissimo. Cibus proinde eligatur

tur ex farinosis, fructibus mollibus, maturis, ole-
ribus mollissimis, pane bene fermentato, jusculis
tenuibus ab omni pinguedine depuratis, et paucis-
simo sale conditis. Haec pauciora copia, sed re-
petitis vicibus, ingerantur, ne nimia chyli, quam-
vis boni, et laudabilis, copia, pulmo obruatur.

§. 1093.

Potus, in eundem finem eligatur diluens, et
mollis, ut sanguis per minima corporis vasa me-
bilis fiat. Conducit igitur quam maxime lac, cum
dupla portione aquae vel decocti hordei, avenae
remixtum parvis haustibus sumtum.

§. 1094.

Simul vitanda sunt omnia ea, quae circulum
humorum augent, eorundemque inpetum versus
pulmones determinant, ne vascula rupta, quae
jam consolidare incipiunt, dehiscant denuo, at-
que haemoptoen excitent. Aeger itaque in cu-
biculo parum calefacto, stragulis modice tectus,
ne nimium incalescat, corpore erecto sedeat, vel
capite sublimi cubet, nec pulmonem loquela, vel
risu commoveat. Somni tempore, qui longior
esse potest, corpus sit bene tectum et perspirabi-
le. Quaecunque vero sub cibi vel potus titulo
assumuntur, non sint calida sed tepida. Animi
adfectus omni modo, vitentur.

§. 1095.

His omnibus sedulo adhibitis, morbo profligando, idoneis remediis, incoepa vasorum con-
solidatio, remediis tonum partium solidarum, ro-
borantibus, omni modo promovenda, eaque si-
mul vitanda quae vim suam qualemcunque in pul-
mones exferere valent. Praeter accuratum regi-
men

men vitae supra descriptum §. 1092. 1093. 1094. aeger leni corporis motu, equitatione nempe lenta, uestione in rheda, vel et ambulatione, in aëre puro sereno, tempore quo vacuus ventriculus est, se exerceat et aliquoties de die cortice peruviano utatur. F. 159. Simul vero pro potu ordinario, aquam selteranam cum lacte, et si haberi nequeat, lac cum aqua remixtum diu bibat. Inter prandium vinum rubrum adstringens bibere, conducit.

§. 1096.

Hac methodo, diu satis continuata, non memini sputum sanguinis rediisse, si simul sub accurato vitae regimine, sanguinis missio bis vel ter de anno, inprimis circa vernale et autumnale tempus, prophylaxeos causa fuerit instituta.

§. 1097.

Triplici modo, sanguinis profluvium, e pulmonibus fieri, nempe vasorum ruptura, anastomosi et erosione, dictum fuit §. 1076. A ruptura et anastomosi, factam laesionem vasorum absque suppuratione, si congrua adhibeatur curatio, sanari posse, experientia confirmat. Quae vero fit ab erosione, ulcerosam pulmonum corruptionem seu phthisin pulmonalem saepe inducere, observata medicorum, probant. Idem saepe observatur eventus, si adstringentibus fortioribus vel aqua frigidissima largiter hausta, haemoptoe fuerit suppressa. Pars enim sanguinis grumosi in pulmonibus relictæ, facile putrescit et in saniem conversa, vicina erodendo, phthisin pulmonalem producit.

§. 1098.

§. 1098.

Quibus notis fit noscendus hic exitus haemoptoes, et quibus remediis curandus, in capite de phthisi pulmonali, fufius agere, dabitur locus. Ut vero praecaveatur pulmonum haec ulcerofa corruptio post veram adhibitam haemoptoes medelam, reliquiae in pulmonibus forte relictæ sanguinis grumofi, minime remediis acidis tuffim excitantibus, fed potius leuioribus bechicis, ut decocto avenae excorticatae, cum faccharo cando et passulis et infulis herbarum veronicae, chaerophylli, bellidis et arnicae cum lacte et faccharo, sunt educendae. Frequentem quoque inspirationem aquae tepidae egregie hic profuisse, experientia conpertum habemus.

Monita practica.

§. 1099.

Si vasa pulmonalia, a quacunque causa, laesa, sanguinem copiose eructant, optime tunc quidem, in corpore vere plethorico, violentior haemoptoes, ex ulteriori vasis laceratione, oriunda, praecavetur sufficienti et pro ratione virium repetita sanguinis missione. Si vero jam tanta exiverit, sanguinis copia, ut facies, labia, oculi pallescant, pulsus fiat debilis, venaeque collapsae sint, et extrema vix caleant, venae sectione non opus esse, imo potius nocere, facile patet.

§. 1100.

Ut vero sciat medicus, an sanguinis missionem, haemoptysi sedata, ad praecoccupandam novam profusionem, repetere debeat, ad sequentia imprimis animum advertat. Si nempe pulsus

plenior et celerior fit, si obtusus in pectore percipitur dolor, tussisque augetur et calor partium extremarum idem vel major est, quam in corpore sano, illico tunc quidem una vel altera hora post primam venaesectionem elapsa, repetendam esse existimamus donec signa supra indicata §. 1085. appareant. Quoad copiam sanguinis educendi, in genere tenendum, tutius semper esse parum plus debilitare aegri vires quam novae profusioni sanguinis, occasionem dare.

§. 1101.

Adstringentia, in haemoptysi sistenda, parum prodesse, facile is quidem intelligit, qui considerat, ea, tota sua vi agere in primas vias, sibi que ingressum in venularum intestinalium oscula, praeccludere, adeoque vim eorum inspissantem et adstringentem ad pulmones pervenire non posse. Noxa eorundem praecipua in eo consistit, ut constringendo vasa absorbentia ventriculi et intestinalium, affluxum humorum versus pulmonum vasa augeant, alvumque obstruant. — In genere proinde notare convenit, omnis generis remedia adstringentia, inter quae cortex peruvianus et minera ferri, eminent, nunquam in instanti haemoptysin conpescere sed potius vim suam in emendanda dispositione corporis ad haemoptoen exferere, dum fibras debiles firmant, sanguinemque tenuem et dissolutum inspissant.

§. 1102.

Inter remedia, quae profusissimum et periculosum sanguinis sputum brevi sistere solent, numeratur aqua frigidissima, magna copia, sed brevibus haustibus, corpori jam a sanguinis jactura, debili

bili factò, ingesta. Omni quadrante horae, scyphus ejus, corpore bene tectò, deglutiri potest, quo sumto statim sequi solet calor et sudor. Alij non solum aquam frigidissimam bibendam exhibent, sed etiam in graviore malo, spongas frigidissima madidas nudo pectori applicant. Haec vero tantum in usum vocanda ubi in praesentissimum vitae discrimen veniant aegroti a sanguinis nimia profusione.

§. 1103.

Si quis fiduciam habet in remedia adstringentia; securiora et leniora, fortioribus praeferat, qualia sunt: folia, radices, semina plantaginis, pentaphylli, pinpinellae iisque jungat incrassantia ut v. c. gummi tragacanthae, amyllum, consolidae majoris radices, folia, flores. A balsamicis natis ut: terebinthina, de Copaiva, Peruviano, de Mecca et similibus plane absteineat.

§. 1104.

Si a haemorrhoidibus vel calamenis suppressis, saepe periodice accedere solet haemoptysis, ea remedia in usum vocanda quae excretionem has restituere valent. Praeter missiones sanguinis atque diluentia et deobstruentia remedia, alvum laxantia et roborantia saepe cum fructu hirudines applicatos fuisse novimus.

§. 1105.

Quae ab acri defluxione catarrhali, cum faucium titillatione, et tussi profunda, excitatur haemoptysis, sectione venae, nisi manifesta, plethorae signa adsint, non indiget sed potius requirit demulcentia, inter quae eminent, emulsio

amygdalarum dulcium feminisque papaveris albi,
pro potu data, et pro tussi moderanda, lene opia-
tum atque laxantia saepe repetita.

§. 1106.

Inter remedia haemoptysin sedantia, praeter
tincturam sulphuris, vitrioli vel haematitis et cor-
ticem peruvianum, ab iis qui fiduciam habent in
adstringentia, sequentia referuntur et prae multis
aliis laudantur.

1.

℞. Rad. symph. maj. ℥vi.
hb. plantag. Manip. XII.

Contus. exprimat. succ. cui adde sacch. pond.
aequale. F. Syrup. D.

2.

℞. Conserv. ros. rubr. ℥i.
Extr. tormentill ℥i℥.
Pulv. cort. casc. ℥i℥.
Corall. r. ppt. ℥iv.
Succ. ℥i.
Myrrh. ℥ij.

M. F. c. syr. diacod. Elect. bis vel ter de
die nuc. avellan. magnit. sumend.

3.

℞. Conf. rosar. rubr. ℥iij.
Bol. armen. ℥ii.
Syr. Myrtin. q. s.

M. F. Conserv. Omni bithorio ℥i. su-
mend.

4.

℞. Fol. plantag. ℥iij.
 Flor. pap. rhoead. ℥iſſ.
 Sem. plantag. rec. ℥ſſ.
 Syr. pap. rhoead. q. ſ.

M. F. Conditum. Capiat ter de die ℥j.

5.

℞. Bol. Armen.
 Terr. catech.
 Corall. r. ppt.
 Maſtich. ana ℥ſſ.

M. F. pulv. N. VIII. Capiat unum ter quater
 de die.

6.

℞. Aqu. plantag. Scorzon.
 Veronic. Scabioſ. ana ℥i.
 Acet. deſtillat. ℥vi.
 Corall. rubr. praep.
 Spec. de hyac. ana ℥ſſ.
 Syr. papav. rhoead. ℥ii.

M. D. S. Mixt. cui ſi profluuium vehemen-
 ter urget, haematit, ad drachmam dimid.
 addenda.

7.

℞. Sem. melon. Cucurb. ana ℥ſſ.
 amygd. dulc. ℥i.
 Aqu. plantag. Tormentill.
 acetof. Fragar. ana. ℥iv.
 F. Emulſ. cui adde
 Syr. Myrtini. ℥i.

M. D. Capiat quater de die unc. duas.

Bb 3

8. ℞.

8.

℞. Flor. bell. Ros. rubr.
 cham. v. Summit milles. ana P. iv.
 herb. consolid. faracen.
 hed. terr. Urtic. mort.
 Veronic. Sanic. Pyrol. ana Mj.
 fem. foenic. Nucist. ana ℥ij.

C. C. M. D. S. ℥i℥ in cerevis: Mens. ii. coqu.

9.

In haemoptoe accidentali desperata.

℞. Aqu. plantag.
 Vin. rubr. adstring. ana libr. fem.
 fyr. papav. errat. ℥ij.
 ol. Vitriol. quantum lingua ferre
 potest.

M. F. Julap. D.



SECTIO III. DE VOMITU CRUENTO.

Theoria morbi.

§. 1107.

Sanguinis grumosi, cum vel sine cibis, aut pituita remixti, per vomitum, evacuatio, nomine *Vomitus cruenti*, insignitur.

§. 1108.

Signa, quae vomitum cruentum, antecedere et comitari solent, sunt: inappetentia, ponderis sensus in ventriculo, anxietas praecordiorum,
 pun-

punctorius et tensivus hypochondrii vel finistri vel dextri dolor, nausea, vomendi conatus, evacuatio tandem sanguinis grumosi cum vel sine cibis, potu et pituita remixti saepe cum animi deliquio, accedens et leni febre,

§. 1109.

Sanguinis proinde crassioris, sub anxio vomendi conatu, sine ulla tussi, evacuatio, vomitum cruentum ab haemoptoe distinguit.

§. 1110.

Proxima vomitus cruenti, *causa* consistit, in ruptura, erosione vel nimia distensione minimarum arteriolarum, quae in cavum ventriculi suos quos continent humores, in statu naturali eructant.

§. 1111.

Haec §. 1110 quidem a multis in laesione vasorum brevium venosorum, ponitur, nos vero putamus per haec vasa vel nunquam vel raro sanguinem effundi. Motus sanguinis in venis retrogradus, situs vasorum brevium inter tunicam membranaceam et musculosam, satis docent, ex iis in ventriculum effundi non posse nisi vasa haec ipsa et simul interiores ventriculi tunicae fuerint disruptae vel erosae. Hac vero posita conditione, vomitus cruentus, vel nunquam vel raro, saltem sanaretur. Quod cum experientiae repugnet, vix probabile est, per vasa brevia sanguinem, in ventriculum effundi.

§. 1112.

Praedisponentes causae praecipuae sunt, laxitas particularis vasorum, inter tunicam ventriculi

nerveam et villosam distributorum, a quacunque causa inducta: sanguis abundans, acris, tenuis, in his vasculis coacervatus.

§. 1113.

Ad *occasionales causas* pertinent, omnes illae conditiones, quae vel sanguinem justo copiosius, intra ventriculi tunicas, urgere, vel tunicam interiorem, ejusque vasa erodere valent. Huc itaque referri possunt: excretiones sanguineae solemnes inpeditae vel suppressae: spasmodicae membranacearum partium imi ventris constrictiones; obstructiones viscerum, imi ventris, praecipue hepatis, et lienis quibus si accedunt, abusus spirituosorum, vehementior corporis et animi motus, et acria sub medicamento vel cibi et potus titulo, ventriculo ingesta vasa per membranas ventriculi distributa vel rupta vel erosa vel nimium dilatata, facile contentum sanguinem in cavum ventriculi effundunt.

§. 1114.

Quoad prognosin haec potissimum habemus notanda, nempe:

- 1.) Vomitus cruentus nunquam vacat periculo, quia saepissime ex laesione vasorum, oritur.
- 2.) Qui sine febre, a suppressis evacuationibus, a plethora oriundis, praesertim in foeminis excitatur, minus periculi habet. Si vero saepe recidivat, tabem et cachexiam facile inducit.
- 3.) Si vomitu rejicitur sanguis, ater, putridus, aut si post vomitum sedatum sanguis sincerus per alvum excernitur, nil boni sperandum.

4. Qui

- 4.) Qui vomitus cruentus ex magno et corrupto liene proficiscitur, ut plurimum periculum portendit, quia indicat, vasa brevia atque membranam interiorem ventriculi esse rupta.
- 5.) Periculosior adhuc est vomitus cruentus quando, obstructo hepate, sanguis poros biliarios relaxatos intrat atque ex his per ductum choledochum in duodenum ex hoc partim in intestina inferiora, partim in ventriculum defertur. Excernitur enim in hoc morbi statu sanguis ater, spissus, atrabilarius et pici similis per os et alvum et periculosum morbum sic dictum HIPPOCRATICUM raro sanabilem, constituit.

Modus sanandi.

§. III5.

In ipso paroxysmo, omnis curatio ita est instituenda, ut in petus sanguinis in arterias ventriculi, minuatur, et versus alias partes derivetur. Porro ut causae rodentes et adfluxum sanguinis allicientes, obtundantur. Spasmi solvantur, et sanguinis grumosi corruptio praecaveatur citoque educatur.

§. III6.

In ipso igitur paroxysmo, si praesens plethora est, nixusque sanguinis nimius in arteriolas ventriculi urget, mox sectio venae in pede instituenda atque pro virium et repletionis vasorum ratione, repetenda.

§. III7.

Post sanguinis detractionem statim ad revulsionem praestandam alvus clysmate emolliente, te-

vido cum aliquot drachmis, nitri, remixto, eluatur, et si magna cruoris copia, cum virium jactura profunditur, manus et pedes usque ad malleolas, aquae subfrigidae, immittantur: et artibus ligaturae applicentur, cum in finem ut sanguinis ad cor refluxus, aliquantisper retardetur.

§. 1118.

Ad acrimoniam, adfluxum sanguinis, allicientem, contemperandam, aestumque, et orgasmum componendum, nil praestantius, aqua pura frigida, cum succo citri ribesiorum et aliis acidis blandis, remixta, saepe parvis haultibus exhibenda F. 40. 42. 48. 51.

§. 1119.

Si dolores et spasticae stricturae, circa regionem praecordialem et hypochondria, vomitum cruentum sustentare videantur, emulliones blandissimae ex feminibus quatuor frigidis et papaveris albi, cum aquis antispasmodicis, admixto nitri momento, et sufficiente quantitate syrupi papaveris albi, egregium praestant effectum.

§. 1120.

Applicari quoque in eundem finem possunt remedia externa, quae inter eminent, oleum bene camphoratum, quo regio praecordialis, et hypochondrium sinistrum inungi, et sacculus ex herbis menthae et ablinthii, floribusque chamomillae et sambuci repletus, in aceto et vino rubro, coctus, subcalide inponi potest.

§. 1121.

Fracto sic quidem inpetu morbi, reliquiae grumosae sanguinis, rhabarbaro cum cremore tar-

tartari, remixto, blande eliminandae et vasa tunicae villosae dilatata firmanda. Huic intentioni saepe satisfacere observantur, lac cum amylo, coctum, repetitis dosibus saepe exhibitum: aqua frigida parvis haustibus sumta: infusa ex herbis millefolii, hyssopi, floribus arnicae et chamomillae: cortex tandem peruvianus.

§. 1122.

Paroxysmo superato, ad arcendum mali recursum prodest, bis singulis septimanis sumere drachmam dimidiam rhabarbari cum scrupulo lapidum cancerorum, vel granis duodecim trochiscorum de carabe et dimidio grano camphorae, ante lecti introitum cum haustu aquae frigidae.

§. 1123.

Officii quoque medici est, causas praecipuas occasionales et praedisponentes remove. Haemorrhoides itaque catamenia si deficient, remediis lenioribus evacuantibus, et emenagogis revocanda: obstructions viscerum, succis herbarum expressis, sero lactis, sapone, melle, aquis mineralibus, rhabarbarinis diu continuatis, et similibus, referandae: dyscrasia humorum corrigenda atque tonus vasorum imprimis ventriculi, remediis ex cortice paratis, et convenienti corporis exercitio, frictionibusque firmandus.

§. 1124.

Victus quoque ratio exquisita, ne malum recrudescat habenda. Caveat igitur sibi aegrotus, ne cibis duris et difficile digerendis, ventriculum oneret. Blandis utatur alimentis facile coquendis: Abstineat ab omnibus iis quae sanguinis

guinis motum excitare aut ad interiora determinare valent, ut sunt: potus spirituofus, ira, emetica et purgantia fortiora, praefertim aloetica: refrigerium pedum. Minus quoque conducunt oleofa, pinguia, dulcia, aquofa calida, nimia copia fumta, haec enim vafcula ventriculi relaxando, facile, recurfui mali, occafionem dare poffunt.

Monita praëtica.

§. 1125.

Turpiter peccare eos, qui opiatif, vomitum cruentum conpescere intendunt, his verbis confirmat celeberrimus TRALLES in egregio fuo de Opio, opere pag. 30.: „Tantum abeft ut opium „superare queat naufeam atque vomituritionem, „a membranarum ventriculi nervearum diductione per vafa infarëta et a grumis sanguinis in ejus cavo hospitantibus, pendentem, „ut potius rarefactionem augendo, has molestias augeat: quin li ad tempus motum ventriculi convullivum cohibeat opium, grumos detinebit diutius atque dum alvinam functionem retardat, eorum exclusioni, neceffariae contrariabitur. Sique alvus diutius obftructa „effe pergat, putrilaginofa illorum corruptioni „et malis inde fecuturis, anfam dabit.

§. 1126.

Adstringentia nunquam in ufum vocanda, nifi prius reliquiae fanguinis grumofae fuerint eliminatae. Sanguis enim usu eorundem in ventriculo retentus, facile putrefcit, et ille qui adhuc haeret in vafis, abit in ftatim, atque malis graviffimis, potiffimum hydropi, heëticae et
pathe-

pathematibus variis hypochondriacis et hysteri-
cis, ansam dat. Nec fortiora unquam sunt seli-
genda sed lenissima tantum, ut: millefolii, adi-
anthum album, flores arnicae, herbae fanicula,
agrironia, virga aurea. Nocent tormentilla
bistorta et quae ex ferro parantur fortiora ad-
stringentia vel aluminosa. Terrae bolares, qui-
bus nonnulli medicorum utuntur, gravare so-
lent ventriculum, hinc non facile in copia sunt
adhibendae. Cortex peruvianus, et extracta
amara in aqua soluta, facile reliquis praeferuntur.

§. 1127.

Salia tam media, quam alcalina, omniaque
quae ullo modo tunicas ventriculi irritare va-
lent, sollicitè vitanda; quia facile vomitum cru-
entum de novo stimulo suo excitare valent.

§. 1128.

Si vomitus cruentus a venenis vel drasticis
remediis excitatus fuerit, mox acrimonia, in-
ternam tunicam ventriculi rodens, largo usu,
oleosorum demulcentium obtundenda et per os
removenda.

§. 1129.

Qui semel vomitu laborarunt cruento, tota
sua vita a vomitoriis et purgantibus validioribus
abstineat.

§. 1130.

Inter remedia stiptica, praeter pulverem a
MEADIO laudatum F. 92. sequentia ab autoribus
commendantur:

1.

In summo periculo

R̄. Mastich. Resin. flav. Alum. crud.
 Terr. Japon. Sal prunell. ana ℥i℥.
 sacch. saturn. ℥ij.
 elect. c. scord. ℥i.
 diacod. q. f.

F. Elect. Capiat omni quadrihorio nucis
 moschat. magnit. et sequent. mixtur. Uncias duas
 singulis vicibus superbibat:

R̄. Gum. arabic. ℥i.
 solv. in Aqu. fontan. ℥viiij.
 adde
 corall. rubr. praep. ℥iij.
 syr. pap. erratic. ℥i℥.

M. F. Iulap. SHAW.

2.

R̄. Succ. millefol. depur. ℥iv.
 aqu. cin. simpl. ℥ij.
 extr. Thebaic. gr. iij.
 lap. haematit. gr. xxv.
 corall. r. ppt. ℥i.
 syr. pap. errat. ℥i.

M. Capiat. cochleatim. PITCAIRN.

S E C T I O I V .

D E M I C T U C R U E N T O .

Theoria morbi.

§. 1131.

Sanguinis, cum vel sine urina, per urethram,
 emissio, communi medicorum consensu vo-
 catur *mictus cruentus*.

§. 1132.

§. 1132.

Si vel absque urinae connubio, vel etiam cum urina, in magna copia, sanguis sincerus excernitur, mictus cruentus facile dignoscitur. Si vero pars minor cruoris cum urina mixta, simul excernitur, tunc quidem ab urina coloris sanguinei, a salibus in morbis acutis, producta, distinguitur in eo quod opaca et crassa mingatur, sedimentum grumosum, calore admoto, ab urina non solubile, ponat, et linteum quoque per quod colatur, rubore tingat.

§. 1133.

Mictum cruentum, tam renum quam vesicae urinariae, vitio contingere, observatio docet. Ut itaque sciat medicus, ex quibus viis ille procedat, ad haec potissimum animum advertat. Sanguis sincerus, urinae intime mixtus, confertim, repente, et sine dolore, mictus, ex vasis renalibus ut plurimum nimium dilatatis prodit. Qui vero sanguis parciore copia, atque in thrombos collectus, cum vel sine materia purulenta, cum dolore et ardore in pube sub mictione excernitur, ex vasis vesicae vel nimium distentis vel exulceratis, venit. — His positis notis quoque mictus cruentus calculosus, qui ex laesione renum et ureterum oritur, facile dignosci potest. — Haemorrhoides vesicae, qui prodeunt ex vasis sanguineis collum vesicae cingentibus dignoscuntur potissimum, dolore pressorio circa vesicae collum, ex moliminibus haemorrhoidalibus, simul adfligentibus, et ex levamine subsequente symptomatum. Cum vero saepe fallacia haec signa esse soleant, simul reliqua symptomata, quae mictui cruento sunt juncta vel quae ipsum prae-

praecefferunt, ponderanda ut fedes morbi determinari queat.

§. 1134.

Causa mictus cruenti proxima, eadem est, ac reliquarum haemorrhagiarum, nempe disruptio, erosio, nimia dilatatio vasorum vel renalium vel vesicae urinae.

§. 1135.

Eaedem quoque sunt causae praedisponentes, nempe laxitas renum atque vesicae individualis atque sanguis abundans, acris, dissolutus.

§. 1136.

Causarum vero occasionalium praecipuae sunt: evacuationes sanguineae solemnes, suppressae: motus corporis fortior, ut cursus, equitatio, vectio rudis in curru: calculus in rene vel vesicae delitescens: fortiora diuretica copiosius ingesta, vel exterius applicata ut cantharides: ulcera et abscessus renum et vesicae: spasticae viscerum infimi ventris stricturae: violentiae tandem externae, ut lapsus et ictus in regionem lumbarum.

§. 1137.

Quoad prognosin sequentia potissimum notanda veniunt, nempe:

- 1.) Cruentus mictus, nunquam vacat periculo, facile enim revertitur et vires exhaurit, imo et saepe, a quacunque causa, suppressus, corruptionem renibus et vesicae inducit, aut ischuriam difficulter sanabilem causat.
- 2.) Si ex haemorrhoidibus vel catameniis suppressis oritur; facile cedit, omnium facillime

lime definit ille qui ex solo corporis motu fortiori diu continuato, fuit excitatus.

- 3.) Tardius curatur ille qui a vesica, quam, qui a renibus proficiscitur.
- 4.) Qui in senibus ab atonia originem habet difficilis curatu, marasmm ut plurimum inducit.
- 5.) Qui cum puris mictu, ex rene et vesica, profundius laesa, ulcerata, cum dolore proficiscitur, omnium periculosissimus est.
- 6.) Si arthritidi suppressae accedit, non curatur, nisi ea revocata et sanata.

Modus sanandi.

§. 1138.

Si, mictum cruentum, ex sanguinis abundantia, ejusque nimio orgasmo, et congestione versus renes, ortum habere, cognoscimus, statim ab initio

- 1.) Sanguis per venam in brachio sectam, sufficienti copia est detrahendus.
- 2.) Alvus, clysmatibus emollientibus, oleosis, rhabarbarinis et mannatis solvenda.
- 3.) Interne nitrosa, acidula, refrigerantia, serum potissimum lactis, et alia, sanguinis motum elasticum refraenantia remedia supra indicata, sunt adhibenda.
- 4.) Mictu cruento, hoc modo sedato, vasa nimium dilatata vel fauciata, remediis subadstringentibus firmanda. Horum praecipua sunt: cortex peruvianus, rhabarbarum tostum, herbae equisetum, millefolium cum summitatibus, virga aurea, radix consolidae majoris, in forma decocti cum lacte remixti et melle prussico dulcificati, exhibenda.

Prodest quoque in hunc finem, amygdalarum dulcium cum bolo armena, et aquae felteranae cum lacte.

§. 1139.

Si a renum vel vesicae erosione, mictus proficiscitur cruentus, §. 1113. isque diu atque cum dolore continuat: praecipua medentis intentio esse debet, ut remediis convenientibus, acrimoniam humorum contemperet et corrigat. Huic vero consilio maximo inserviunt, mucilaginosa lubricantia oleosa, forma decocti vel emulsionum F. 152. 160. exhibita, lac ipsum et oleum amygdalarum recens, cum ovorum vitello. Huc facit quoque syrupus dialtheae FERNELII, decoctum FORESTI atque MYSICHTI. His adhibitis tuto quidem subadstringentia remedia §. 1138. hisque similia F. 162. ad partes laesas consolidandas, in usum vocari possunt.

§. 1140.

Quando grumi sanguinei, vel circa insertionem uretheris in vesicam, vel in ipsa vesica seu sphinctere ejus, haerentes, dysuriam et ischuriam causant, praeter remedia supra laudata, mucilaginosa, interne vel aqua pura calida copiose hausta, vel emulsionem ex seminibus quatuor frigidis: externe vero balnea, vesica decocto florum emollientium cum lacte remixto, plena, abdomini applicata, et enemata oleosa, lenissimaque laxantia mannata profunt. Oleum amygdalarum dulcium, vel decoctum milletolii, cum lacte et melle rosarum, dulcificatum, forma injectionis in urethram optimo cum successu, fuisse adhibita, observatio docet.

§. 1142.

Superato morbo, causae praedisponentes et occasionales sedulo sunt removendae. Si itaque suppressae evacuationes solemnes, causa mictus, cruenti fuerint, illae in ordinem redigendae. Si ab atonia: roborantibus, inprimis, aquis mineralibus spadanis cum vel sine lacte, sanandus. Si tandem a calculo in renibus aut vesica, haerente: curatio infra describenda, adhibenda.

§. 1143.

Victus exquisitam quoque rationem observare debet aegrotus. Quam maxime abstineat ab omnibus aromatibus, praesertim, ab allio, cepis, radicibus felleri, asparagi, et a vino, acido abundante, nimiumque spirituosum, nec non a cerevisiis crassioribus et acidis. — Abstineat quoque a nimio potu calido, infusi Theae aliarumque herbarum. — Potus quo utitur, sit subfrigidus. — Optime conducit cerevisia tenuis bene cocta et fermentata, quae facile per urinam exit, vel etiam tisana quaecunque, praesertim quae paratur ex cerasis siccis.

§. 1144.

Dorsum pannis nimis calidis, vel pellibus non tegat. — Decumbat in lateribus non vero in dorso. — Ab omni motu fortiori corporis et animi sibi caveat, praesertim in equo vel ventione in curru, per platearum pavimenta. — Victus sit lenis tenuis demulcens, ex farinaceis et jusculis cum vitello ovorum, donec ad perfectam redierit sanitatem. Alvus mannatis aperta semper fervetur.

§. 1145.

Praeter remedia memorata, maximum in praeservandis, et perfanandis renum et vesicae vitiis praesidium positum est, in recto et diu continuato usu aquarum mineralium Selteranarum, Wildungensium et Spadanarum, imprimis si cum lacte asinino remisceantur. Eiusdem virtutis, adversus hunc morbum est serum lactis et lac ipsum pro potu ordinario diu continuatum, ita ut mane ejus mensura dimidia cum una vel altera uncia mannae calabrinae remixta subcalide bibatur.

Monita practica.

§. 1146.

Circa usum remediorum adstringentium, ea omnia sunt observanda, quae supra docuimus. §. 1126. Si vero excretio fuerit nimis copiosa cum virium jactura, ea tunc quidem tuto adhiberi posse, putamus.

§. 1147.

Cum opium circulum sanguinis intendat, illud potius mictum cruentum proritare, quam eum inhibere intelligitur. Usus tamen ejus non negligendus, quando sanguis paucus nigricans, cum dolore et ardore magno, inter mingendum exprimitur, aut quando sanguis ex renibus descendens, eo in loco uretheris, ubi inter vesicae tunicas pergat, coagulatus haerens, constrictiones dolorosas, atque pessimam ischuriam producit. Si enim ad ferociam spasmorum componendam tunc quidem, clysmata et epithemata emollientia atque gelatinosa oleosa emulliva non sufficiant, opiata leniora in usum vocare expedit.

§. 1148

§. 1148.°

Inter remedia adstringentia, expertae virtutis,
haec potissimum ab autoribus practicis referuntur.

1.

R̄. Lact. ovill. ℥iv.
bol. armen, ver. ℥i.
M, D.

2.

R̄. Aqu. plantag., dest. ℥ij.
portulac, Cinamom.
acet. destill. ana ℥i℥.
corall. r. ppt. Lap. cancr.
terra sigillat, ana ℥i.
laud. liquid. SYDEN, gutt, iij.
fyr. de symph, FERN. q. s. ad grat. sapor.

D,

3.

R̄. Gum. arab, Tragac, crasse pulv. ana ℥i℥.
coqu. in aqu. hord, q. s. ad libr. ij.
colat, adde
fyr. de alth, ℥iij.
M, D.

4.

Succ. urticae: decoctum equiset et Lign. fan-
tal, cum aqua plantaginis destillata, infusum.

5.

Externe: emplastrum de spermate ranarum
cum alumine, vel saccharo saturni et pau-
xillo camphorae remixtum. Vel albumen
ovi cum alumine conquassatum et subfri-
gide regioni pubis sub forma epithematis
applicatum.

vel

℞. Herb. millefol. Equiset. ana M℞.
 Tormentill. ʒ℞.
 flor. salv. P. ij.

Inc. M. D. S. Species in mensur. aqu. l. vin.
 rubr. coct. lumbis pubi et perinaeo applic.

S E C T I O V.

DE HAEMORRHAGIA UTERI.

Theoria Morbi.

§. 1149.

Quando sanguis, ea copia, per vias uterinas, excernitur, ut vires corporis notabiliter destruantur, foeminam tunc uteri haemorrhagia laborare, novimus.

§. 1150.

Larga haec sanguinis profusio, per uterum, contingere solet, quando vel justo mensium tempore, vel extra hoc tempus bis vel ter repetens in mense, vel solito diutius, uteri purgatio, post abortum vel partum, succedit.

§. 1151.

In hac sectione, nos quidem de haemorrhagia uteri in genere agere constituimus, sine habito respectu ad abortum, ad molam et lochia nimia, eaque indicabimus remedia quae in omni nimio per uterum effluxu sanguineo, profuisse experientia docuit.

§. 1152.

Omnis proinde sanguinis evacuatio, per uterum, quocunque tempore, sive aetate contingat,

tingat, si functiones corporis insigniter laedit, viresque corporis destruit, diagnofin haemorrhagiae uterinae facit.

§. 1153.

Causam proximam hujus morbi, in nimia vaforum per uterum distributorum, diftentione, erofione et ruptura confiftere, facile patet.

§. 1154.

Ad hanc §. 1153. *diffponunt*: laxa uteri debilitas, generis nervofi fenfibilitas et mobilitas, fanguinis tandem abundantia, tenuitas, acrimonia.

§. 1155.

Occafionales caufae praecipuae funt: circulatio auctior, a cibis aromaticis, potuque fpirituofa, vel motu corporis exceffivo, inducta, et verfus uterum relaxatum directa: refrigerium partium extremarum: adfectus animi fortiores inprimis ira: medicamenta calida emenagoga: obftructiones viscerum: uteri fcirrhofa et cancrofa circa uterum haerens diathefis, qua vafa eroduntur et haemorrhagia faepe magna excitatur: rupturae vaforum uterinorum, et alia.

§. 1156.

Immodicum uteri profluvium nunquam periculo vacat. — Si ab abundantia, fanguinis falvis adhuc visceribus, excitatur, facile quidem cedit, foeminas vero faepe vel steriles reddit vel eas ad abortum proclives reddit. — Si in confuetudinem abit et diu perennat, parciore licet copia, difponit ad cachexiam, hefticam, hydropem. Si copiofius et confertim fluit, vitae periculum inferit. — Peffimum quod ab obftructione per-

tinaci viscerum, praesertim uteri aut a genitis in utero carnosis massis, et a foetu mortuo, praesertim in corporibus cacochymicis fit.

Modus sanandi,

§. 1157.

In ipso paroxysmo, curandum, ut copiosa per vasa uterina excretio moderetur, et sistatur, extra paroxysmum vero ut causae remotiores, ex quibus, fluxum hunc excitatum fuisse, novimus, sollicitè removeantur.

§. 1158.

Si itaque uteri haemorrhagia, soli plethorae atque orgasmo sanguinis, natales suos debet, ea tunc in usum vocanda remedia, quae excedentem circulum componunt, ejusque motum ab uteri versus alias corporis partes divertunt.

§. 1159.

Huic vero consilio maxime inserviunt, praeter missionem sanguinis, summamque corporis et animi quietem, potiones diluentes refrigerantes, quas inter excellunt, aqua pura frigida, succo citri, spiritu vitrioli vel sulphuris, acidulata et syrupo papaveris rhoeados, dulcificata, serum quoque lactis et similia F. 39. 40. 41. 43. 51. 52. 54. Infusum saturatum rosarum rubrarum, spiritu vitrioli acidulatum et emulsiones nitrosae eundem praestant effectum.

§. 1160.

Sanguinem ab utero divertunt, laxantia lenissima mannata, rhabarbarina cum cremore tartari, parata: immisiones manuum in tepidam: ligaturae bra-

brachiorum: cucurbitae sine scarrificatione dorso inpositae et alia.

§. 1161.

Si inpetus, his adhibitis remediis, non remittit, ad adstringentia interna supra indicata §. 1148. alii confugere solent. Nos vero externis majorem tribuimus facultatem sistendi ejusmodi immodicas profusiones uterinas. Solent in hunc finem applicare, regioni pubis, stercus suillum aceto forti remixtum, forma emplastri; vel cataplasma ex foliis plantaginis et polygani, floribus rosarum, balauustiorum quae in aceto rosaceo coqui et forma cataplasmatidis subfrigidae applicari possunt,

§. 1162.

Nos in sistendo pertinacissimo mensium fluxu, experientia conprobata habemus: acetum vel solum, vel aqua frigida remixtum: spiritum vini rectificatum calide cum linteis duplicatis admotum: epithemata frigida ex aqua, aceto, nitro et saccharo saturni. Si neque haec juvant atque summa necessitas urget, linteum contortum in pessum efformatum, solutione vitrioli martis inbutum, genitalibus immitti potest. Regioni lumbari pro hoc scopo applicare solemus, emplastrum de spermate ranarum cum alumine, oleo hyosciami et camphora remixtum F. 163.

§. 1163.

Si a nervorum spasticis stricturis et doloribus hysteriis vel etiam ab irritamento quocunque in ipso utero, haerente, inpetus sanguinis ad vasa uterina, intenditur, curatio prius tentanda, emulsionibus oleosis, nitratis, et clysmatibus emol-

lientibus oleosis. Si haec minus sufficiant, ad opium
ceu summum antispasmodicum confugiendum.

§. 1164.

Paroxysmo superato, causis occasionalibus
atque praedisponentibus, tollendis, cura est ad-
hibenda. Si itaque a suppressis menstruis, hae-
morrhagia originem habet, venaesectio aliquot
dies ante instantem fluxum, instituenda, eaque
remedia in usum vocanda, quae excretionem
hanc salutarem, in ordinem redigere valent.
Simili modo, vitia sanguinis corrigenda, ob-
structiones viscerum referandae et laxitas partium
solidarum, ceu causae haemorrhagiae remotio-
res, removendae.

§. 1165.

Ad arcendam recidivam, omnium maxime,
curandum, ut uterus a vitiosorum succorum
colluvie purgetur, ejusque vasa firmentur. Con-
venit itaque, ut aliquot vicibus, laxante leni
rhabarbarino, utantur, postea vero extracta
amara in aqua destillata, soluta, praecipue cor-
ticem peruvianum et aquas selteranas, per plures
hebdomades, adhibeant. — Vitanda sub usu
horum remediorum sunt omnia ea, quae sangui-
nis circulum augere et excitare valent, ut vinum,
cerevisia fortis, ova, carnes, et ex ea parata
juscula meraciora. Pro potu sit aqua pura fon-
tana cum citri succo vel in qua frustulum chaly-
bis extinctum.

Monita practica.

§. 1166.

Quae immodico fluxu uterino laborant foe-
minae, a motu corporis, fluxu durante, absti-
neant,

neant, situm in lecto, natibus per pulvinar suppositum elevatis, fervent tranquillum et ab omni animi adfectu sibi caveant.

§. 1167.

Cum opiata circulum sanguinis intendant, ejusque calorem augeant, et fibras uterinas relaxent, ejus usus in haemorrhagiis nocentissimus est. Iis vero non negligendus ubi dolores et spasmi abdominales, atque tenesmus in utero concurrere observantur. Summopere ab eo cavendum, ubi, omnibus a nobis praescriptis remediis, frustra adhibitis, vires sub largissimo fluxu fatiscunt, atque lipothymiae et convulsiones accedunt. Profunt tunc maxime ea remedia quae adstringentia topica vocantur §. 1171.

§. 1168.


Quae uteri haemorrhagia, post alios morbos, a debilitate uteri oritur, atque diu continuat egregie lenitur, remediis roborantibus et glutinantibus. Horum praecipua sunt: decoctum corticum aurantium subviridium, cujus interior substantia fungosa, vim habet adstringentem, praecipue si in decocto ejus, chalybs extinguitur: vinum rubrum gallicum cum aqua mixtum: succus catechu cum rheo in pillulas, redactus: rhabarbarum tostum diu, parvis dosibus, usurpatum: cortex peruvianus extra tempus orgasmis, sufficienti dosi exhibitus: aquae spadanae imprimis Pyrmontanae: lac chalybeatum, vel cum radice consolidae, floribusque rosarum et balaustiorum coctum.

§. 1169.

In haemorrhagiis, quae adcedente termino mensium, circa quinquagesimum annum adcedere solent, venaesectiones, purgationes antiphlogisticae, emulsiones cum nitro, et syrupo papaveris, omne punctum curationis absolvunt.

§. 1170.

Solet quoque post diuturnam plenariam catameniorum per aetatem, cessationem, haemorrhagia uteri molestissimis spasmis atque auctis doloribus stipata, foeminas, excruciare. Hujus causa cum sit canerosa diathesis, quae circa uterum haerens vasa erodit, nulla speranda medela est. Diaeta lactea, atque opium parvis sed repetitis dosibus ad mitigandos exquisitissimos dolores, profunt.



SECTIO VI.

DE HAEMORRHOIDIBUS NIMIIS.

Theoria morbi.

§. 1171.

Sanguis per intestinum rectum, ex vasis haemorrhoidalibus, factam excretionem nomine haemorrhoidum, insigniri, cuilibet notum est.

§. 1172.

Quae hujus profluvii praeternaturalis, naturam, causas, effectus, et medendi methodum attinent, ea satis fuse explicata leguntur in specimine,

mine, quod de haemorrhoidibus germanico idiomate, publici juris fecimus. Hic loci tantum de fluxu haemorrhoidali nimio breviter dicendum.

§. 1173.

Nimius proinde fluxus haemorrhoidalis nobis dicitur ille, qui vires corporis notabiliter prostermit, functionesque corporis laedit.

§. 1174.

Profluvium hoc, vario modo excedere potest. Vel enim raro accedit, sed per multas septimanas insistit, vel saepe revertitur ut v. c. omni septimana, vel denique continuo fluit.

§. 1175.

Ejus praesentia, ex debilitate, functionumque corporis, insigni laesione, quae nimiam hanc sanguinis excretionem comitatur, facile dignoscitur.

§. 1176.

Causa proxima fluxus nimii haemorrhoidalis est valida vasorum haemorrhoidalium dilatatio, vel ruptura, quibus fit ut sanguis majori copia cum intequente corporis debilitate evacuetur per alvum.

§. 1177.

Ad profluvium haemorrhoidale, *praedisponunt*, laxa vasorum haemorrhoidalium debilitas, regressum sanguinis per venas, impediens: infarctus et obstructio viscerum praesertim hepatis: sanguis abundans, acris nimis tenuis aut spissus.

§. 1178.

§. 1178.

Causas *occasionales* fiſtunt omnes illae conditiones, quae ſanguinis circulum accelerare, ejuſque in petum verſus vaſa haemorrhoidalia arterioſa determinare valent. Nixu enim ſic quidem aucto, haec vaſa vel nimium diſtenta, vel rupta facile ſanguinem fundunt. Harum cauſarum praecipuae ſunt: valida quaecunque corporis exercitia, potus ſpirituoſi, cibi et medicamenta acria calida: animi pathemata et alia.

§. 1179.

Nimius fluxus haemorrhoidalis, vires corporis exhaurit, et ſucceſſu temporis, cachexiam, hecticam, et hydropem inducit. Facilius curatur ille qui, ſalvis partibus ſolitis a ſolo vitio ſanguinis abundantis, acrioris vel tenuioris aut ſpiſſioris, excitatur, quam ille, qui ab obſturbatione viſcerum ſcirrhoſa, inprimis hepatis et ab atonia vaſorum proficiſcitur.

Modus ſanandi.

§. 1180.

ſi in corpore plethorico, fluxui haemorrhoidali adſueto, nimia haec ſanguinis profuſio contingit, omnis curatio eo redit, ut ſanguinis in petus divertatur, ejuſque motus excedens componatur. Idcirco:

- 1.) Si corpus ſanguine turget, major ejus copia, ſi vero jam multum ejus fuerit effuſum, parcior quantitas, ex vena brachii, detrahenda.

2.) Miſ-

- 2.) Miffo fanguine, mox alvus eluenda, clysteribus demulcentibus, et potionibus mannatis, tamarindinatis F. 50. et rhabbarinis.
- 3.) Simul exhibenda remedia, quae organum fanguinis temperare valent, nitrofa inprimis acidula, diluentia refrigerantia, ut sunt aqua frigida cum succo citri vel spiritu vitrioli acidulata, serum lactis, et alia.
- 4.) manus quoque in tepidam, cum vino remixtam, revellendi scopo, immittantur.
- 5.) Diaeta simul inperetur tenuis et demulcens, corporisque quies.

§. 1181.

Si profluvium fanguinis haemorrhoidalis, a stimulo in intestinis haerente, atque a spasticis stricturis viscerum sustentatur, simulque atroces dolores, colici et cardialgici urgent, tunc quidem praemissis remediis nitrosis diluentibus et attenuantibus, quarta pars grani, opii cum scrupulo rhabbari tosti (ubi torminosa divexat diarrhoea) vel etiam massa pillularum de cynoglossa cum successu ad componendum spasmus et dolores sedandos, adhiberi potest.

§. 1182.

Si his omnibus adhibitis remediis, fluxus haemorrhoidalis haud sistitur ea tunc quidem in subsidium vocanda remedia, quibus vasa fauciata constringi novimus. Inter haec, aliis facile palmam praeripiunt, cortex peruvianus, martialia,
inpri-

inprimis crocus martis antimonialis, et infusa varia ex herbis vulnerariis parata. F. 159. 164.

§. 1183.

Cum adstringentia interna, in sedando fluxu inpetuoso, non semper delideratum effectum praestare soleant; major spes salutis ponitur in externis. Optimo vero cum successu adhiberi possunt: decoctum saturatum corticis peruviani vel spacierum F. 165. cum spongia ano admovendum, vel forma clysmatis injiciendum. In eundem finem quoque spiritus vini rectificatus, vel acetum calidum ope spongiae ano admoventi possunt, item vinum rubrum cum malicorio coctum. Si ex inpetuoso sanguinis fluxu, vas ruptum esse arguimus, fortiora tunc mox adhibenda esse putamus, qualia sunt injectiones ex decocto radicis bistortae vel tormentillae et turundae F. 166. 167. ne vires concidant et vita periclitetur.

§. 1184.

Fluxu nimio sic sedato, exquisitissima vitae victusque ratio habenda. Vitentur omnia, quae abundantiam sanguinis alere, ejusdemque orgasmum excitare valent, §. 1187. Abstineant simul ab iis, quae flatu generare et ideo circulum per viscera abdominalia inaequalem reddere valent, ut sunt legumina, acetaria lacticia etc. Victu utantur tenui leniter nutriente, pro potu ordinario vero, aqua frigida, sero lactis, lacte chalybeato, et alvum lenissimis rhabarbarinis apertam servant.

§. 1185.

§. 1185.

Profluvium quod a laxitate vasorum praesertim vero intestini recti, sustentatur, saepe curatur, solo usu rhei diuturno, parvis sed repetitis dosibus, exhibitum: et aquis mineralibus pyrmontanis et spadanis, lactisque fero chalybeato. Decoctum millefolii et quae ex cortice et marte parantur remedia, egregiam quoque opem praestare solent. Ut vero congestio versus intestinum rectum divertatur vena in brachio secanda, brachia et dorsum pannis asperis fricanda, iisque applicandae cucurbitae cum vel sine scarrificatione.

§. 1186.

Omniū difficillime curatur nimius haemorrhoidum fluxus, qui ex pertinaci visceris cujusdam abdominalis, praesertim hepatis, obstructione originem habet. Si obstructio haec adhuc solubilis est, in usum vocari possunt: serum lactis cum succo recenti taraxaci; pillulae ex sapone supra descriptae: vinum rhenanum marte infusum: aque minerales Spadanae et Pyrmontanae et similia.

Monita practica.

§. 1187.

Adstringentia tam interna quam externa circumspecte adhibeantur. Inter interna, martialia liquida cum diluentibus, atque cortex peruvianus, imprimis si simul adest, atonia viscerum, securissima sunt. Validiora facile oscula venarum in cavum intestinorum hiantium, stringunt

et alvum claudunt. Utroque hoc effectu spasticis stricturis in abdomine ansam praebent, atque sanguinem ad pulmones vel hepar determinant, multaque gravia mala excitant. Idem valet de externis fortioribus. Adeoque in principio nunquam adhibenda et tunc demum quando ex fluxu sanguinis inpetuoso, remediis supra indicatis frustra adhibitis, vitae imminet periculum. Simul tunc jungere oportet diluentia temperantia et leniora laxantia ut serum lactis, et lac asininum.

§. 1188.

Nitrosa, acidula, refrigerantia, minus proficua sunt ubi vires corporis jam nimis sint exhaustae, atque fluxus ex obstructione viscerum symptomaticus sit.

§. 1189.

Opiata, in fluxu haemorrhoidali nimio, a quacunque etiam causa, sive ab orgasmo sanguinis, sive a debilitate vel obstructione ortus fuerit, nunquam sine periculo adhibenda. Dantur tamen casus, ubi, si alia auxilia prius in usum vocata fuerint, illis carere non possimus, v. c. si stimulus aliquis haeret in intestinis et diarrhoea torminosa, vel atroces spastici dolores abdominales accedunt.

§. 1190.

Morbo composito, praeter exactam vivendirationem, sanguis ter, quater, quotannis, mittendus, primae viae saepe rhabarbarinis expurgandae atque usus feri lactis chalybeati aut aquarum mineralium diu continuandus.

§. 1199.

§. 1199.

Praeter haec a nobis praescripta remedia, pu-
ram ad compescendum haemorrhoidum fluxum,
potestatem habere dicuntur sequentia:

1.

R̄. Alcoh. Lap. scissil. q. v.
Butyr. non salit. q. f.
Ut fiat Unguentum.

2.

R̄. Herb. verbasco.
millefol.
plantag.
Fol. sambuc ana M. jv.
cort. granat. ℥i.

Coque in aqu. et vin. rubr. adstring. ana ℥iij.
ad partis tertiae consumption. in colat. dissolv.
alumin. ℥ss. sacch. sat. ℥ij.

M. D.

3.

R̄. Ungu. popul. ℥ij.
cochinell. subl. pulv. ℥ij.
sacch. saturn. ℥i.
ol. hyperic. q. f.

M. diuturna agitatione in mortar. plumb. F.
Unguent. e bombyce applicandum et con-
tinuo gestandum.

4.

℞. Ol. lini ℥xii.
 terebinth. ven. ℥iv.
 sandarac. puriff.
 five gumi junip. ℥iij.

Liquent. simul leni igne. Remed. fingulare
 in haemorrhoidibus tam apertis quam la-
 tentibus dicitur.

F I N I S.



FORMU.

FORMULAE
MEDICAMENTORUM
RATIONI MEDENDI
ACCOMMODATAE.



FORMULAE
MEDICAMENTORUM
RATIONI MEDENDI
ACCOMMODATAE.

FORMULA 1.

Rec. Rad. Ipecacuanh. ℥i.
Tart. Vitriol. ℥ss.

M. F. pulv. D. S. pro dosi.

F. 2.

Rec. Rad. Ipecacuanh. ℥ss.
Vini alb. ℥i.
Sacch. alb. ℥ij.

*Stent. in infus. per noct. Liquor. depurat. exhibe
s. pro dosi.*

F. 3.

Rec. Rhabarb. opt. ℥ij
Tart. Vitriol. ℥i.

*M. F. pulv. Div. in duas part. aequal. D. S.
unum versus noct. alterum mane sequ.
sumend.*

F. 4.

Rec. Rhei elect. ℥ij.

Vesp. adf. Aqu. ferv. q. s. *sequenti mane parum.*

ebull. Colat. ℥iv. *adde*

Syr. meliss. ℥i.

Aqu. cinam. ℥℞.

M. D. S. divis. dosib. spatio trium hor. haur.

F. 5.

Rec. Mann. calabr. ℥i.

Sal. sedlicens. ℥ij.

Ser. lact. ℥iij.

M. F. l. a potio D. S. pro dosi.

F. 6.

Rec. Pulp. Tamarind. ℥i.

Solv. in aqu. calid. ℥iv.

Colat. adde

Nitr. depur. ℥℞.

Ebull. et colat. adde Mann. cal. ℥ij. D. S. pro dosi.

F. 7.

Rec. Fol. fenn. S. S. ℥ij.

Aqu. frigid. ℥vi.

Sal. Tart. ℥i.

Stent in infuso per 12. hor. D. S. pro dosi.

F. 8.

Rec. Fol. fenn. S. S. ℥iij.

Sal. polychr. ℥i℞.

Sem. Anis. ℥℞.

F. infus. cum Aqu. ferv. q. s. Col. ℥iij. adde

Syr. ros. solativ. ℥℞.

M. D.

F. 9.

F. 9.

Rec. Rad. Jalapp. opt. ℥i.
Tart. Vitriolat. ℥℞.
ol. de cedro. gutt. j.

M. F. pulv. D. S. pro dosi.

F. 10.

Rec. Resin. Jalapp. gr. vi - viii.
Spirit. foenic.
Syrup. Violar. ana ℥i.

M. D. S. pro dosi, sine Vehiculo.

F. 11.

Rec. Extr. fumar.
Gum. amoniac. elect. ana ℥℞.
resin. Jalapp. gran. vi.

M. F. c. Elix. propr. pillul. no. XX. fol. argent. obd. D. S. pro dosi.

F. 12.

Rec. Flor. cham. vulg.
sambuc. ana M. j

Coqu. et colat. ℥viij. adde
sacch. rubr. ℥ij.
ol. lilior alb. ℥i.

M. D. S. pro clysmate.

F. 13.

Rec. Salis polychr. ℥i.
ammon. dep. ℥℞.
sacch. alb. ℥℞.

M. F. pulv. D. in sextuplo.

F. 14.

Rec. Tart. Vitriol. ℥i.
 Flor. sal. amon.
 Cort. Winter ana gr. V.

M. F. pulv. D. S. ut supra.

F. 15.

Rec. Flor. samb. Mj.
 Herb. cent. min.
 trifol. febr. ana M℥.

C. M. D. S. species.

F. 16.

Rec. Extr. gent. rubr. ℥ij.
 Liqu. terr. fol. tart. ℥i.
 Aqu. meliss. s. v. ℥ij.

M. Capiat cochleare pro dosi.

F. 17.

Rec. Essent. satur. cent. m. ℥ij.
 Liqu. Terr. fol. tart. ℥℥.

M. D. S. 40. gutt. pro dosi.

F. 18.

Rec. Herb. absinth. Mij.
 Flor. cham. vulg. Mj.

*Coqu. in aqu. s. Mens. j. C. D. S. loco Theae
 bibendum.*

F. 19.

Rec. Sal. polychr. ℥j.
 Roob. sambuc.
 Syr. acet. citr. ana ℥ij.

M. D. S. ℥℥. pro dosi.

F. 20.

F. 20.

Rec. Tart. praep. ℥ij.
Flor. cham. v. Mj.

Coqu. per dimed. hor. in Aqu. S. ℥xiii.

F. 21.

Rec. Radic. gramin.
scorzoner.

Lign. sassafr. ana. ℥℥.

C. M. D. S. in Aqu. Miß. coqu. Colat. add.

Succ. citr. ℥℥.

Sacch. q. f.

D.

F. 22.

Rec. Summit. cent. min. Mj.

Rad. galang. ℥℥.

Flav. cort. aur. ℥iij.

C. M. D. S. spec. cum vin rhen. Mens. j. infund.

F. 23.

Rec. Extr. fumar. e succ.

Gum. ammoniac. elect.

Sapon. Venet. ana ℥i.

M. F. c. Elix. propr. pillul. pond. gran. ij.

D. S. mane et vesp. x - xii.

F. 24.

Rec. Cort. peruv. opt. pulv. ℥i.

*Divid. in 12. part. aequ. D. capiat unum omni
bihorio in aqua vel vino.*

F. 25.

Rec. Cort. peruv. pulv. ℥i.

Syr. cortic. aur.

de canell. q. s. Ut fiat Elect.

M. D. S. inter duos parox. consum.

F. 26.

Rec. Cort. peruv. pulv. ℥iij.

Aqu. comun. ℥xij.

Infus. stend. per duas hor. dein per horam ebull.
adde:

Vini Gall. ℥iv.

Ebull. denuo. C. D. Cap. omni bih. ℥ij.

F. 27.

Rec. Extr. Cort. peruv. aquos. vinos. ℥j.

Croc. mart. antimoniat. gr. iij.

M. F. pill. No. XX. D. Capiat die intercalari.

F. 28.

Rec. Cort. peruv. ℥ij.

Limat. mart. rec. ℥vi.

Infund. c. Vin. rhen. ℥ijj. Capiat. ante et post meridiem vitellum.

F. 29.

Rec. Extr. cort. peruv. ℥i.

Dilue in Syr. s. rad. aper. ℥l.

D. S. Syr. antiseb.

F. 30.

Rec. Decoct. aven. ℥ijj.

Flor. sambuc. Mij.

Inf. et colat. add. mell. pur. ℥ij.

D. Cap. omni hora vascul. calide.

F. 31.

Rec. Butyr. inf. ℥i.
Cerevis ℥v.

M. F. haust. D. tepide.

F. 32.

Rec. Aqu. tepid.
Lact. dulc. tep. ana ℥iv.
Butyr. infuls. ℥β.

M. F. haust. D. tepide.

F. 33.

Rec. Aqu. ceras. nigr. ℥iv.
Julep. rosar. ℥β.
Spirit. Sulph. per. camp. q. f. ad acid.

D. Capiat omni bihorio dimidium vasculum.

F. 34.

Rec. Aqu. flor. til.
cinam. f. v. ana ℥iv.
Syr. acetos. citr.
ceras. n. ana q. f.

D. Cap. saepe dimid. vasculum.

F. 35.

Rec. Sal. amoniac. volat. ℥ij.

Sensim admisc. acet. Vini destill. q. f. ad perfectū.
saturat. stent mixt. per aliquot horas Decant.

D. S. 80. gutt. pro dosi.

F. 36.

Rec. Sal. mirab. Glaub. ℥β.
amoniac. dep ℥i.

Solv. in aqu. card. bened. ℥viiij.

adde

Syr. card. bened. ℥℞.

*M. D. Capiat ante paroxysmum.**F. 37.**Rec.* Rad. rec. cichor. sylvestr.
gramin.

bard. maj.

alth. ana. ℥i.

Herb. trifol. fibr.

millef.

chaerefol. ana Mj.

*Manip. j. intif. infund. c. ser. lact. sincer. rec.
fervidique ℔j. Col. fort. expr. edulc. melle
vel Oxym. scill. D. Capiat omni mane post
meridiem et vesperi, unc. vj. stomach. vacuo.**F. 38.**Rec.* Nitr. depur.

Tart. tartarifat.

Conch. s. ign. ppt. ana ℥℞.

*M. F. pulv. D. in sextuplo.**F. 39.**Rec.* Roob. samb. ℥ij.

Nitr. depur. ℥i.

Aqu. flor. samb. ℥vi.

*M. D. Cap. uncias duas omni bihorio.**F. 40.**Rec.* Hord. mund. ℥ij.

Nitr. depur. ℥i℞.

*Ebull. cum Aqu. com. Mens. jj.**Colat.*

Colat. adde

Mell. opt. ℥i℞.

Acet. vin. ℥i.

M. D.

F. 41.

Rec. Aven. mund. ℥ij.

Crem. Tart. ℥j.

Ebull. c. aqu. mens. duab. Col. D.

F. 42.

Rec. Ser. lact. rec. ℥j.

Succ. citr. ℥i.

Sacch. alb. ℥℞.

M. D. S. pro potu.

vel

Rec. Nitr. depur. ℥i.

Sacch. alb. ℥iv.

Coccinell. gran. xvi.

*M. F. pulv. Conjic. in aqu. bull. libras duas,
coqu. despum. et per resident depur. D. S.
pro potu.*

F. 43.

Rec. Flor. malv.

Samb. ana Mj.

Aqu. commun. ℥xv.

Coqu. et colat. add.

Mell.

Olei liliior. alb. ana. ℥i.

Nitr. depur. ℥℞.

D. S. pro clysmate.

F. 44.

F. 55.

Rec. Camph. ℥℥.*Solv. in.* Spirit. Vin. ℥iij. adde

Acet. rutac. ℥ij.

Ol. lign. rhod. gutt. x.

M. D. S. pro usu externo.

F. 56.

Rec. Gum. amoniac. ℥i.*Solv. in* Aqu. Destill. Hyff. ℥iv. adde

Spirit. Minderer. ℥i.

M. D. S. omni quadrih. duo cochl.

F. 57.

Rec. Gum. arabic. ℥℥.*Coqu. in* Aqu. ℥ij. usque ad solutionem adde

Spirit. nitr. dulc. ℥ij.

M. D. Capiat saepe ℥iij. — iv.

F. 58.

Rec. Aqu. cinamom. ℥vij.

Diascord. FRACAST. ℥℥.

M. D. S. cochl. pro dosi.

F. 59.

Rec. Cort. peruv. subtiliss. ppt.

Diascord. FRACAST. ana q. f.

M. D. S. ter quater de die ℥℥. pro dosi.

F. 60.

Rec. Sal. abfinth. ℥i.

Succ. limon. ℥℥.

M. D.

F. 61.

Rec. Amygd. dulc. ℥iij.

Sem. melon. ℥i.

Sacch. alb. ℥℥.

F. c. Aqu. Mens. j℥. l. a. Emuls. D.

F. 62.

F. 62.

Rec. Pan. tost. ℥j.
 Aqu. pur. Mens. jv.
Coqu. per dim. hor. Col. D.

F. 63.

Rec. Sal. absinth. ℥i.
Solv. in Aqu. Font. ℥vij. et instill. Spir. Vitr.
q. s. ad saturat. adde.
 Aqu. alexit. spirituof.
 Syr. cort. aurant. ana ℥β.
Capiat cochl. vj. quarta vel sexta quaque hora.

F. 64.

Rec. Cort. peruv. opt. ℥i.
 Sal. amoniac. ℥i.
 Succ. citr. q. s. *Ut fiat elect.*

F. 65.

Rec. Pulv. contray. comp. ℥i.
 Nitr. purificat. gr. x.
 Camph. gr. ii. — iij.
M. S. Pulv. sexta quaque hora repet.
vel
Rec. Aqu. fontan. ℥iv.
 Alexit. spirit. c. acet. et
 Julep. e camph. ana ℥iβ.
 Pulv. e contray. c. ℥iv.
 Nitr. pur. ℥ii.
 Syr. e cort. aur. ℥vi.
M. Cap. cochl. iij. vel iv. sexta quaque hora.

F. 66.

Rec. Liqu. anod. m. Hoff. ℥β.
 Ol. mac. gutt. iij.
M. D. S. 40 gutt. in aqua.

F. 85.

Rec. Rad. alth. ℥i.
Fol. alth. Mij.

Coqu. in aqu. f. q. Col. adde
Syr. Oxym. scill. ℥ij.

M. D.

F. 86.

Rec. Sacch. cand. albiss. ℥i.
Kerm. mineral. gran. vj.

M. F. Pulv. tenuiss. D. Capiat omni trihorio
parv. cochl. pro Coffe.

F. 87.

Rec. Fol. falv. Mij.

Conc. infus. f. q. aqu. serv. per dim. hor.
Colat. ℥ij. adde
Syr. falv. ℥ij.

M. D. Cap. omni mane et vesp. dimidia pars,
calide.

F. 88.

Rec. Farin. fabar.
Flores samb.
melilot.
chamom. ana M̄i.

Rad. irid. florent. ℥ij.
Camphor. ℥i.

M. F. Pulv. D. S. pro usu externo.

F. 89.

Rec. Extr. gent. r.
cochlear.
pinpin. alb.
Gum. nat. Gvajac. ana ℥i.

Solv. in Liqu. terr. fol. tart. ℥v.
D. S. 40 gutt. omni quadrihor.

F. 90.

F. 90.

Rec. Flor. cham. v.
famb. ana Mj.

Ceruff.

Encaust. ana ℥ij.

M. D. S. Pulu. pro usu ex'erno.

F. 91.

Rec. Herb. rec. rut.
ablinth.
falv. ana Mj.

Rad. bryon.

Sal. amoniac. ana ℥i.

Conc. C. M. D. S. Vino gall. coqu. et form.
epith. appl.

F. 92.

Rec. Alum. ℥iij.

Sangu. drac. ℥i.

Ad ignem liquef. et frige f. pulveris: D. Cap.
scrupul. unum hujus pulv. cum Conseru. Rosar.
pro dosi.

F. 93.

Rec. Rad. Valerian. sylv. ℥β.

Sal. volat. Corn. Cerv. gran. iv.

Camphor. gran. ij.

M. D. S. Pra adulta.

F. 94.

Rec. Alb. ovor. no. j.

Aqu. rosar. q. f.

Fortiter agitent. postea adde

Saceh. ℥ij.

Terr. Japonic. ℥ij

Laud. liquid. gutt. xx.

M. F. Linctus de quo capiat saepe aliquot cochl.
parva.

F. 95.

Rec. Decoct. pectoral. ℥℥.
Syr. Violar.

capill. ven. ana ℥i℥.

M. F. Apozema de quo Cap. ℥iij. vel iv. ter quater de die.

F. 96.

Rec. Ol. amygd. dulc. ℥ij
Syr. Violar.

capill. ven. ana ℥i.

Sacch. cand. alb. q. f. M.

M. F. Eclegma de quo lambat saepe, quanto tuffis urget.

F. 97.

Rec. Aqu. flor. samb. ℥vi.
theriacal. ℥iij.

Antim. diaphor. non abl.

Diascord. FRACASTOR. ana. ℥℥.

Spirit. Vitriol. gutt. xx. — xxx.

Syr. pap. rhoead. ℥ij.

M. F. Mixtur.

F. 98.

Rec. Pulv. contray. ℥℥.
castor. gr. v.

croc. or. gr. iij.

M. F. Pulv. D.

F. 99.

Rec. Pulv. contray. gr. xv.

Serpent. virg. gr. v.

Croc. orient.

Castor. ana gr. iij.

M. F. Pulv. D. —

F. 100.

Rec. Sal corn. cerv. ℥ss.
Succ. limon. ℥iij.
Aqu. alexit. simpl. ℥i℥.

M. Peraçt. effervesç. adde
Spirit. lavend.
Syr. croc. ana ℥i℥.

*M. F. Haustus, quinta vel sexta quaque hora,
cum Sero lact. vinoso vel Julap. cardiaco tem-
perante repetend.*

F. 101.

Rec. Mosch. gran. xv.
Sal. corn. cerv. gr. vi. — viij.
Camphor, gran. iv.

M. F. Pulv. D.

F. 102.

Rec. Rad. Valerian. fylv. ℥i.
Castor.
Croc. ana gr. iij.
Asae foetid. gr. ij.

M. F. Pulv. D.

F. 103.

Rec. Herb. melilot.
Rut. ana Mj.
nicotian. ℥iij.

Coqu. in Aqu. f. q.

Colat. ℥j. adde
Sapon. Venet. ℥ij.
Mell. despum.
Ol. aneth. coct. ana ℥i.

M. D. S. Pro chysmate.

F. 104.

Rec. Ser. lact. acid. ℥j.
 Succ. citr. ℥j.
 Mell. optim. ℥ss.
 Nitr. depur. ℥ss.

M. D.

F. 105.

Rec. Aloes pur. ℥i.
 Mell. ad crass. coct. ℥iij.
 Sapon. Venet. ℥ij.

*M. F. Supposit. no. vi. oleo illin. et per plures
 dies. appl.*

F. 106.

Rec. Acet. rofac. ℥ij.
 Spir. rofar. in quo camph. gr. x.
 solut. ℥i.
 Nitr. depur. ℥ij.
 Ol. lign. rhod. gutt. xx.

D, M, S. Epith. calide applicand.

F. 107.

Rec. Aqu. Euphras.
 foenicul. d. ana ℥i.
 Tut. praepar. ℥ss.
 Trochisc. alb. RHAS. ℥i.

M. F. Mixtura D.

F. 108.

Rec. Lact. foemin. ℥i.
 Succ. foenic. dulc. ℥ss.
 Camphor. ℥i.
 Alb. ov. unius.

*Probe conquass. misc. et redeg. in pult. forma
 cataplasmat. applicand.*

F. 109.

F. 109.

Rec. Aqu. flor. samb.
 sclopetor. ana ζ i.
 Camphor. gran. iij.
 Sacch. saturn. gr. x.

M. D. S. Cum linteo quadrupl. crebrius tepide oculis applicand.

F. 110.

Rec. Aqu. plantag.
 ros pallid. ana ζ ij.
 Sacch. saturn. \mathfrak{z} i.
 Spirit. sal. amon. $\mathfrak{z}\beta$.

M. F. l. a. Mixt. D. S. ut supra.

F. 111.

Rec. Aqu. rosar. rubr.
 sperm. ran.
 sclopetor. ana ζ i.
 Pulv. tut. praep. ζ i.

M. F. Collyr. D. S. duabus vicibus de die instilland.

F. 112.

Rec. Fol. Euphras.
 foenicul. ana Mj.
 Sem. foenugr.
 Aloes lot. ana ζ ij.
 Aqu. font. paucio acet. acidul. ita
 ut gustu levit. depreh. $\mathfrak{z}\beta$.

Coqu. simul ad dimidiet. consumpt. Colat serv. ad usum.

F. 113.

Rec. Sal. fedlic. ζ i.
 Mann. elect. ζ ij.
 Aqu. flor. samb. $\mathfrak{z}\beta$.

M. D. S. Omni dimidia hora ζ j. donec alvus bene laxetur.

F. 114.

F. 114.

Rec. Herb. et flor. malv. Mij.

Scinde et manibus tere.

adde

Aqu. bullient. ℥j.

Colat. per lint. fact. adde

Mell. opt. ℥i.

Nitr. depurat. ℥℞.

M. D. —

F. 115.

Rec. Aqu. hyffop.

fragar. ana ℥ij.

Julep. rofar. ℥ij.

Spirit. Vitriol. gutt. vi. vel
ad grat. saporem.

D. Cap. omni bihor. duo cochl.

F. 116.

Rec. Amygd. d. excort. no. v.

Sem. melon.

pepon. ana ℥℞.

pap. alb. ℥iij.

Aqu. hordeat. ℥i℞.

rofar. ℥ij.

*F. t. f. q. Sacch. Emuls. cuj. cap. ℥iv. quarta
quaque hora.*

F. 117.

Rec. Decoct. flor. ros. rubr. ℥j.

Acet Vin. ℥i.

Mell. ℥ij.

M. F. Gargarisma. D.

vel

vel

Rec. Herb. prunell.

ialv. ana Mj,

Inc. Coqu. in aqu. f. q. Colat. ℥ij. adde

Mell. rofar. ℥ij.

Nitr. depur. ℥i℞.

M. D. S. ut supra.

F. 118.

Rec. Mell. rofar.

Mucilag. cydon. ana ℥j.

Aqu. rofar. ℥ij.

Nitr. depurat. ℥ij.

Spirit. Vitriol. ℥℞.

M. D. S. In ore tenend. et lente deglut.

F. 119.

Rec. Lact. et Aqu. ℥i℞.

Ficum. no. ij.

Coqu. ad consumpt. ℥j.

Colat. adde

Spirit. sal. amon. ℥ij.

M. D. S. Pro Gargarismat.

F. 120.

Rec. Alb. ovar. in aqu. conqu. ℥ij.

Aqu. rofar. ℥i.

Sal. prunell. gr. xii.

Syr. cydon. ℥i.

M. F. Linct. saepe deglutiend.

F. 121.

Rec. Ol. amygd. d. ℥i.

papav. alb. ℥i.

Camphor. ℥℞.

M. D. S. Collum ext. bene hoc oleo perfricand.

F. 122

F. 122.

Rec. Caric. pingui. no. viij.
 Flor. samb.
 malv. ana Mß.

C. M. Coqu. in lact. mens. j.
 Colat. adde
 Mell. opt. ℥i.

M. D. S. Gargarisma.

F. 123.

Rec. Farin. sem. lin.
 foen. graec.
 Pulv. flor. samb. ana ℥i.

M. F. c. vitell. ov. et. lact. q. s. Catapl.
 adde

Ol. lilior. alb. ℥i.

D. S. Cataplasm. emolliens.

vel

Rec. Pulp. ficuum pingui.
 Cepar. sub ciner. coct.
 Rad. lilior. alb. rec. ana. ℥ij.
 Pulv. flor. cham. ℥i.
 Sem. lin.
 foenugr. ana ℥ß.

Cum decoct. rad. alth. et unqu. de alth. f. Ca-
taplasma D. —

F. 124.

Rec. Flor. ros. rubr.
 Herb. alchymill.
 fanicul.
 Flor. sambuc.
 malv. ana. P. ij.

Inf. cum aqu. fervent. ℥ij.

Colat.

Colat. adde

Acet. vin. ℥ij.

Mell. ℥ij.

M. D. S. pro gargarismate.

Item

*Decoctum salu. c. mell. rosar. vel. Vinum
c. eodem mell. remixt.*

F. 125.

Rec. Mell. rosar. ℥ij.

Syr. Violar. ℥i.

Spirit. fal. acid. gutt. xx.

M. F. Linctus. D.

F. 126.

Rec. Herb. agrimon.

virg. aur. ana Mj.

Conc. infund. s. q. Aqu. ferv. per dim. hor.

Colat. ℥j. adde

Mell. rosar. ℥i℥.

Sal. polychr. ℥i.

M. F. Gargarisma.

F. 127.

Rec. Mastich. five cer. ℥i.

Rad. pyrethr.

zingib.

Piper ana ℥i.

M. F. placentulae in ore continendae.

F. 128.

Rec. Sal. amoniac. ℥iij.
 Acet. scillit. ℥℞.
 Oxymell. scill. ℥ij.
 Aqu. flor. samb. ℥bj.

M. F. Gargarisma. D.

F. 129.

Rec. Sapon. Venet. ℥i.
Solv. in aqu. flor. samb. ℥℞. dein adde:
 Syr. de erysim. Lobel. ℥ij.
 Sal. polychr. ℥ij.

M. F. Gargarisma. D.

F. 130.

Rec. Rad. Tormentill. ℥i℞.
Cont. coqu. f. q. aqu. per horam Colat. ℥bj.
adde:
 Mell. rosar. ℥i℞.
 Sal. polychr. ℥i.
 Spirit. Vin. ℥℞.

M. F. Gargarisma. D.

F. 131.

Rec. Sem. cydon. levit. contuf. ℥℞.
Adfund. aqua rosar ferv. ℥bj. et relinque vase
clauso in infusione per quadr. hor. Colat.
adde:
 Mell. rosar.
 Syr. Violar. ana ℥i.

M. D.

F. 132.

Rec. Emplastr. de melilot.
malactic. ana ℥ij.
Malax. D.

F. 133.

Rec. Decoct. hord. ℥XL.
Nitr. depur. ℥ij.
Oxymell. ℥iv.

M. D. Cap. ℥ij. *calide omni dimid. hor.*

F. 134.

Rec. Herb. heder. terrestr.
hyssop.
capill. ven. ana Mß.
Rad. glycirrh. ℥iß.
Sem. foenic. ℥i.

Cum aqu. decoct. Mij. *D. S.* ℥ij. *calide omni quadr. hor. bibend.*

F. 135.

Rec. Rad. gramin.
rusc.
petrosel.
foenic. ana ℥ii.
Sem. cont. bard.
petrosel. ana ℥i.

Cum aqu. ℥XL. *decoct. Exhibe.*

F. 136.

Rec. Acet. scillit. ℥vi.
 Oxymell. scill. ℥iij.
 Sal. polychr. ℥ij.
 Aqu. decoct. hord. ℥viiij.
 hyssop. ℥iv.

M. D. Cap. ℥i. omni dimidia hora.

F. 137.

Rec. Fol. rec. agrimon.
 virg. aur.
 scabios. ana Miß.
 Flor. agrimon.
 bellid. prat. ana Mj.

Cum aqu. decoct. ℥vjjj. Bibat omni bihor. ℥iij.

F. 138.

Rec. Extr. myrrh. aquos. gr. x.
 Sacch. cand. ℥iß.

M. F. pulv. D.

vel

Rec. Myrrh. elect. ℥iß.
 Mell. alb. ℥ij.

M. D. Capiat. omni hora ℥i. pro dosi.

F. 139.

Rec. Herb. alchymill.
 pulmonar.
 tussilag. in.
 Flor. hyperic. ana Mj.

C. M. D. S. ut supra.

F. 140.

Rec. Mell. ℥ij.
Nitr. depur. ℥β.
Decoēt. hord. ℥x.

M. F. *Enema.*

F. 141.

Rec. Fol. malv.
parietar ana. Mi℥.
papav. hort.
hyosciam ana Mi.
Flor. sambuc.
chamon. ana ℥ij.

Cum lact. decoēt. f. *foment.* D.

F. 142.

Rec. Hujus decoēt. ℥ij.
Sapon. Venet. ℥i.

M. F. *foment.*

F. 143.

Rec. Opii pur. ℥i.
camphor. ℥i.
Empl. de cymin. q. ℥

F. *Emplastrum.*

F. 144.

Rec. Fol. scord.
alliar.
marr. alb. ana ℥ij.

Cum. aqu. decoēt. *Mens.* jj.

Ff 3

admisc.

admisc.

Oxymell. simp. ℥v ij.

Nitr. depurat. ℥iij.

Acet. theriacal. ℥i.

M. D. S. ℥ij. omni dimid. hor. calidiff. sumend.

F. 145.

Rec. Roob. sambuc.

ribesior ana ℥ij.

Oxymell. simpl. ℥i.

Spirit. sal. comm. gutt. XX.

Aqu. decoct. hord. ℔bjv.

M. utatur pro potu, assiduo ad libitum.

F. 146.

Rec. Herb. rut.

absinth.

scord.

Flor. cham. v. ana Mj.

*Inc. M. D. S. species quar. dimidia pars cum
Mens. j. aquae decoct. form. cataplasma.
applic.*

F. 147.

Rec. Flor. melilot.

chamom.

Herb. absinth.

scord.

salv. ana. Mj.

Sem. cymin. ℥i.

*Inc. coqu. in Aqu. et Vini acet. q. s. Express.
adde*

Ol. camphor. ℥i.

M. D. S. pro fomento.

F. 148.

F. 148.

Rec. Merc. dulc. septies vel decies sublimat. in pulv. subtiliff. redact. et Spirit. Vin. deflagrat.

Sulphur. ant. aurat. ʒt. praec. ana ʒij.

Gum. Gvajac. ʒij.

Resin. Gvajac. ʒj.

Bals. de Copaiv. Q. S.

Ut fiant pillul. pond. gr. iij. D. Capiat. mane et vesp. sex.

F. 148.

Rec. Mercur. purific. ʒi.

Gum. arabic. ʒij.

Misce et tere diu in mortario marmoreo, addendo aquae fumar. cochleare dimid. donec mercurius perfecte solutus appareat. Adde dein sub perpetua triturat. Syr. alkerm. ʒʒ. et Aqu. fumar. ʒxvi.

D. Capiat duo cochlear. mane et vesperi.

F. 149.

Rec. Rad. alth. ʒi.

Flor. verbasc.

pap. rhoead. ana. P. iij.

Inc. coqu. in Aqu. com. s. q.

Colat. ʒij adde

Syr. de alth. ʒij.

M. D. Capiat omni hora vasculum.

F. 150.

Rec. Rad. gram. ʒvi.

Sem. cont. melon. ʒʒ.

Glycirrh. ʒi.

Cum aqu. decoct. ʒij. Exhib. s. omni dimid.

hora ʒij. calide

*vel :**Rec.* Rad. cichor.

gramin. ana ℥ij.

glycirrh. ℥℞.

Sem. card. mar. ℥ij.

*M. F. fort. infus. e. aqua ebull.**Colat.* ℥iij. *adde*

Syr. 5. rad. aper ℥vi.

*D. S. saepe bibend.**F. 151.**Rec.* Aqu. pluvial. ℥xii.

Syr. de alth. ℥℞.

Nitr. depur. ℥i.

*M. F. Enema. Injic. singulis tribus horis.**F. 152.**Rec.* Sem. quatuor frig. maj. ana ℥i.

Amygd. dulc.

Sem. pap. alb. ana ℥ij.

Aqu. flor. sambuc.

nymph. ana ℥iij.

*F. Emuls. adde sacch. alb. ℥iij. vel**Julep. rosar. ℥ij.**M. D. S. omni hora, vasculum.**F. 153.**Rec.* Herb. scord.

millefol.

Flor. cham. v.

Sambuc. ana Mj.

*C. M. D. S. pro infuso cum melle misc.**F. 154.*

F. 154.

Rec. Herb. millefol.
chamaedr. ana. Mj.
Sem. foenic. ℥i.
Coqu. s. q. *aqu. Col. depur. Mens. jj. infund.*
frigide
Cort. peruv. elect. ℥i.
Col. adde Syr. myrtill. ℥i. D. S. pro potu
ordin.

F. 155.

Rec. Empl. de melilol. ℥ij.
Sperm. cet. ℥β.
Gumm. amon. ℥ij.
Croc. ℥i.
Camphor. ℥β.
M. F. Emplastrum.

F. 156.

Rec. Aqu. pur. frigid. ℥vi.
Acet. vin. ℥β.
Nitr. depur. gr. vjjj.
M. D.

F. 157.

Rec. Aq. ceras. nigr. ℥vi.
Acet. destill. ℥β.
Bol. armen ℥ij.
Nitr. depur. ℥β.
Syr. de ros. sicc. ℥ij.
M. D. S. omni bihorio vasculum.

F. 158.

Rec. Aqu. flor. samb. ℥vi.
 Acet. rosac. ℥ij.
 Nitr. depur. ℥℞.

M. D. S. pro Epithemate.

F. 159.

Rec. Extr. cort. peruv.
 cascarill.
 millefol. ana ℥i.
Solv. in aqu. destill. plantagin. ℥ij.
M. Capiat bis vel ter de die ℥℞. in aqua.

F. 160.

Rec. Rad. gramin.
 scerzon. ana ℥iij.
 Liquirit. ℥ij.
Inc. mixt. coqu. c. aqu. simpl. Mens. iij.
 Colat. adde
 Syr. quinque rad. aper. ℥ij.
 Nitr. depurat. ℥ij.
M. D. Capiat saepe vasculum.

F. 161.

Rec. Pulv. temper. ℥i.
 Spec. de hyac. gr. xvi.
 MP. de cynogl. gr. iv.
M. F. pulv. Div. in 4 part. aequ. D.

F. 162.

Rec. Herb. agrim.
 hed. terrestr.
 alchymill. ana. Mj.
 Rad. chin. elect. ℥i.
 Liquirit ℥℞. -
 Flor. hyperic. M℞.
 Raf. corn. cerv. ℥j.

Coqu. c. *f. q.* Aqu. Col. ℥ij. adde Syr. de
lymph. FERN. ℥i℞. D.

F. 163.

Rec. Empl. de sperm. ran. ℥ij.
 Sacch. saturn. ℥i.
 Ol. hyosc. ℥ij.
 Camphor. ℥℞.

M. F. Emplastr.

F. 164.

Rec. Hed. terrestr.
 Virg. aur.
 Veronic. ana. Mj.
 Sumit. millef.
 hyperic. ana M℞.

C. M. D. S. Thé.

F. 165.

Rec. Fol. menth.
 fumach.
 Flor. balauftior.
 ros. rubr. ana Mj.

C. M. D. S. pro decoct. ext. appl.

F. 166.

F. 166.

Rec. Alum. rup. ℥i.
Aqu. destill. plant. ℥i.
M. et cum. turund. appl.

F. 167.

Rec. Sacch. saturn. ℥i.
Aqu. destill. ros. ℥i.
M. D. S. in eundem ujum.



INDEX RERUM.

NUMERUS §. DENOTAT.

- A.
- A**bstinentia nimia a cibis in febr. interm. nocet §. 82.
Aceti usus externus in contin. putrid. 207
 in petechiis 370
 in variolis 508
Acetum cum aqua , forma clysm. 1000
Adstringentia externa, schirrh. causa 757
Adstringentium effectus in febre biliosa 264
 in haemorrhagiis 1182. 1183
 in haemoptysi 1007
 in haemorrhoidibus 1048
 in mictu cruento 1146
 in nar. haemorrh. 1066
 in ophthalm. 713. 1187
 in uteri haemorrh. 1161, 1162
 in vomit. cruent. 1126
Aeris moderamen in febr. contin. 166
 in purpura 419. squ.
 in ardentibus 227
Aestus febrilis causa, effectus 21. 22. 74
Alexipharmacorum in continuis noxa 210
 in malign. catarrh. 314
Alvi obstructio pertinax, vide obstructio alvi.
Anginae definitio 719. differentia 720. 723. sedes 724.
 causae 727. prognos. 729. medela 732 squ.
 exitus varius et curatio 745. 757
Anginae malignae decurs. et medela 779
 pituitosae indoles et cura 739 squ.
 ortus a veneno 775
 in febre ardente 238

Angl.

INDEX RERUM.

- Anginosa inflammatio in variolis 522
 Anxietas 209
 Anomala febres intermitt. 147. 148
 earum causae 149. 150. et cura 159
 Aquae calidae usus largior in vomitu ciendo 378
 frigidae usus in obstructione alvi 795 996.
 in haemoptoe 1102
 externus in purpur. 422
 in laxitate membranae pituitariae 1062
 Aquae calcis vivae usus in sudoribus coll. 601
 in ulceribus vesicae et renum 955
 Aquae minerales ad vitia vesicae praescindenda utiles 1014
 Arroffionis intestinorum cura 267
 Ascites purulentus post hepatitis. 912

B.

- Balneorum usus in variolis 484 534.
 Balsamorum noxa in peripn. 878
 Biliofae febris descriptio 241. diagnof. 246. differentia a
 causo 247. causae variae 248. 249. prognofis 250
 et curandi modus 250 -- 255
 Biliofae febres remittentes 257. earum medela 258. 259. sym-
 ptomat. 259
 Bilis defectus tollitur sapone, aloe 88
 Bronchotomia 741. sub quibus cautelis 773

C.

- Caloris febrilis causa 21. 22
 Camphorae usus in febre biliofa 266
 in obvolvenda acrimon. cantharidum 380
 in pleuritide 882
 in hepatitis 919
 in cystitide 1015
 in soporof. adfect. 412
 Catarrhalis febris benigna 208
 diagnof. 269. Signa essent. 270. differt a quo-
 tid. interm. et a catarrhali maligna 271
 Ejus causae, proxima 272. occasionales 273.
 praedispon. 274. prognof. 275. modus sa-
 nandi 277. 284

Catar-

INDEX RERUM.

- Catarrhalis febris maligna** 299. 300. ejus diagnos. 301. notae essent. 302. causa proxima 303. occasio. 306. praedispon. 307. prognos. 307. signa salutis 308. periculof. 309. Curandi modus 311. 326. symptomatum curatio 327
- Causae febriles remotiores** 24. occasional. 25. causa proxima 18
- Causus** 217. ejus diagnosis 218. signa essent. 219. causa proxima 220. remotiores 221. ejus prognos 223. signa salut. 224. suspecta 225. lethalia 226. curatio 228. 229. sequ.
- Cephalalgia in malignis** 332
in febris ardent. 239
- Clysmata nutrientia in angina** 743
- Coma in phrenitide** 712
- Continuae febris** 161. divisio 162. indicationes generales 163. varius medendi modus 164. regimen 165. ratione aeris 166. modi tegendi 167. potus et cibi 168
- Continua putrida** 188. ejus notae eff. 189. differentia a simplici 190. a febris malignis 191. decursus 192. causa prox. 193. praedispon. 194. occasionales 195. prognos. 196. eventus bon. 197. mali ominis signa 198. lethalia 199. modus medendi 200. - 204. Symptomatum curatio 209
- Continua simplex** 171. ejus signa 172. different. 173. decursus 174. causae proxima 176. remotior 177. exitus 178. Cura 179. sequ. symptomatum mitigatio 184
- Convulsio in variolis quomodo conp.** 510
- Cortex peruvianus dari potest in intermitt. sine praevia correctione** 83. 84.
- Corticis peruviani usus in intermitt.** 69
in morbis periodicis 85
in hydrope 86
in malignis 381
in nephritide 945
in ulcerib. renum ibid.
- Cucurbitulae c. scarrif. in peripn. notha** 839

INDEX RERUM.

D.

- Diacta in febribus intermitt. 54
 reconvalescentium 169
- Diarrhoea febrilis 77
 in catarrhali benigna 286
 in catarrhali maligna 329. 342
 in petechiis quomodo tract. 377
 in variolis 518
 in continua putrida 209
 in morbillis salutaris 567 excedens quomodo
 curand. 568
- Diaphoreticorum usus determinatur ab urinae mutatione 639
 in febre catarrh. 6. 290
- Diureticorum noxa in nephritide 949
- Dolor capitis in intermitt. 75
- Duplicatae febres 139 earum different. 140
 Causae 141. prognos. 142
 curandi modus 143. 144 squ.

E.

- Emeticorum usus in intermitt. 78
- Enematum usus in variolis 528
 in febrib. mali moris 152
 in continuis 169. in putr. 203
 in febre biliola 261
 in catarrh. 6. et mal. 280. 316. 399
 in vomitu conpescendo 330
 in exanthem. 367. 377. 424. 516
 in febribus lent. ab eros. 588
 in febribus nervos. 641
 in inflammationibus variis 688. 710. 795.
 833. 865. 903. 925. 937. 988. 1001.
 1012. 1023.
 in haemorrhagiis 1059. 1117. 1138
- Erysipelas 427. ejus divisio 428. decursus 429. causa va-
 riac 430-433. prognos. 434 squ. in suppur. verg.
 443. remed. ext. 447. remedia expert. virtut.
 448. remedium in casu desperato 573

Evacuan-

INDEX RERUM.

- Evacuantia** in biliosa febre quando profunt 261
in purpura 401. 410. 423
in gastritide 978
in vomitu cruento 1129
in petechiali febre 367
- Exanthemata** non sunt de essentia febris 345. raro critica,
sed symptomatica 346. 347. juvant interdum
crisin 348. eorum genesis praepedienda 349.
385
- Expectorantium abusus** in peripneum. 820

F.

- Faciei tumor nimius**, quibus remed. minuendus in variolis 538
- Febris** in genere, descriptio 10. signum pathognomicum
11. motum sanguinis concitatiorem ha-
bet comitem 12. consistit in laesione ae-
quilibrii inter actiones vitales et anima-
les 13. definitio 14. a velociori liquidi
nervei et sanguinis in cor, influxu pen-
det. 16
- Februm** causa materialis 18. symptomata 19. prognosis
in genere 26. varius exitus 27. in sanitatem 28
alium morbum 29. mortem 30. indicationes 31.
medendi leges universales 32. earum divisio ge-
neralis 34. varietas 35
- Febris lenta** ex continua s. orta, quomodo tract. 185
- Febris suppressio** intempestiva, periculosa 29
- Fluida universalia** qualia sint 4
- Frigus febrile** 72. ejus causa 20
- Frigida externe** adhibita in purpura periculosa 422'

G.

- Gastritis.** 956. ejus decursus 957. a paraphrenitide diff. 958
ejus causa 959. prognosis 960. curatio 962. sequi.
a veneno 963. ab ira 964. in cholera ab acri-
bile 965. ab exanthematibus retropulsis 966. ab
acido. 967 praesentis curatio 968. sequi.
- Genarum rubor** signa pulmonis suppurati 806

INDEX RERUM.

H.

- Haemoptysis** 1069. ejus different. 1071. sedes 1072. differt a vomitu et sputo cruent. 1073. verae et spuriae origo 1074. causae 1076. prognos 1083. cura 1084. sequ.
- Haemorrhagiae** definitio 1032. divisio 1033. causa 1034. signa diagnostic. 1038. prognos 1040. curatio 1042. ab abundantia 1043. ab acrimon. 1044. a stimulo particulari 1045. ab obstructione viscerum 1046
- Haemorrhagia narium** Vid. Narium haemorrh.
- Haemorrhoides** in intermitt. quando aper. 89. *nimiae* 1171. 1173. earum differ. 1174. signa 1175. causae 1176. sequ. prognos. 1179. curatio 1180. sequ.
- Haemorrhoidum** solutio in phrenitide 697. quae signa eam indicant ibid.
- Hepatitis** 892. divisio ejus 893. sedes dupl. 895. decursus 896. causae 897. sequ. prognos 900. curationis modus 901. sequ.
- Horror febrilis** ejus causa 20. 47

I.

- Icteri post hepatidem** curatio 919
- Inflammationis** definitio 643. 644. signa 645. causae 646. sequ. resolutio 650. suppuratio 651. gangraena 652. scirrhus 653. prognos. 654. 655. curatio 656. sequ.
- Inoculationis** 544. modus 545. suspectus 546. 547.
- Intermittentium febrium** definitio 36. nota characteristica 37. variae classes 38. et rariores species 39. divisio in vernales et autumnales 41. varia stadia 42. decursus 43. 44. 45. causa proxima 46. frigoris 47. caloris 48. recursus paroxysmorum ratio 49. causae praedisponentes 50. occasionales 51. prognos. 52. cura 53. 54. sequ.

Intesti-

INDEX RERUM.

Intestinorum inflammatio 981. signa specialia partis inflammatae 982. 983. ejus causa 984. sequ. prognos 986. curandi modus 987. sequ.

L.

Lac quibus conveniat. 600. asinum reliquis praefertur. 597. cura lactea quomodo instituenda 595. ratio alvi habenda 599

Laxantium effectus, post febres intermitt. 70
in febribus petechialibus 366. 367
in purpura 423
in Variolis 529
in continua putrida 204
in phrenitide 688

Lenta febris 576. chronica 578. ejus signa 579. causae 581. 582. 583. prognos 584. regimen 585. curatio a vitio primarum viarum 587
a febre intermittente 590
a virium defectu 591
ab obstructione viscer. 592
a spirituosorum abusu 593
infantum 595
earundem curatio 598 sequ.
et symptomatum mitigatio 601

Lenta febris nervosa 609. ejus decursus 607. causae 615. 616. 617. differentiae 617. 618. prognos 619. sequ. ratio medendi 621. symptomatum medela 632. sequ.

Lochiornm suppressio causa inflammat. 1024

M.

Malignae febris definitio 296. malignitas non est de essentia febris 297. notae malignitatis 298. quomodo praepedienda 362

Marasmus senilis 594

Mercurius antidotum variolosum 548
in resolv. scirrho 667

INDEX RERUM.

- Metallis alvi obstructionem, solvere periculofum** 995
Mictus cruentus 1131. ejus diagnofis 1132
 fedes 1133. caufae 1134. fequ. prognof. 1137
 cura 1138. fequ.
Morbi periodici cortice profig. 85
 universales 1. eorundem classes 2. origo 3. di-
 vifio 4.
Morbi circuli fanguinei 9
Morbilli 551. eorum divifio 552. diagnof. 553. 554.
 differentia a Variolis 555.
 caufae 556. prognofis 557.
 cura benignorum 558. mali
 moris 563. fqu.
 livefcentes 570. recedentes 571.
Morbus niger Hippocratis 1115.

N.

- Narium haemorrhagia** 1050. divifio 1051
 ejus figna 1053. caufae 1054. fqu.
 prognofis 1057. cura 1058. fqu.
 in malignis catarrhalibus 331
 in variolis 511. 519
 in febre ardente 236
 in phrenitide 700
Nephritis 926. ejus divifio 927. fymptomata 928
 figna effentialia 929
 caufae variae 930. fqu.
 prognofis 933. cura 934. fqu.
Nitri ufus in peripneumonia 818

O.

- Obftructio in febre catarrhali** 285.
 alvi pertinax quibus remediis folv. 793. 795.
Oculorum oclufio in variolis 516.
Oedematis praefagium et curatio 87. in tertianis 118. in
 quartanis 135.
Olei camphorae ufus in inflammat. ventriculi 979.
Olei amygdalar. ufus post partum 1027.
 lini effectus in tuffi 868. in alvi obftruct. 794. 796.

Ophthal-

INDEX RERUM.

- Ophthalmia** 704. divisio ejus 705. signa 706.
 causa 707. prognos. 709.
 sanatio 710. sequ. inveterata 715
- Opii effectus**, in febre putrida 213. in petechiis 382. in vomitu varioloso. 512
 in variolis 514. 493. 535.
 in febre nervosa 640.
 in phrenitide 691. 703.
 in peripneumonia 821. pleuritide 881.
 hepatitide 918. nephritide 939. 950. gastritide 976. enteritide 993.
 in haemorrhagiis 1045. 1049.
 in haemoptoe 1090. in vomit. cruento 1125.
 in mictu cruent. 1147. 1176.
 in haemorrhoidibus nimis 1189.
- Oppressio pectoris** a spasmo, nervinis et stimulantibus sananda 623. non Venaesectione 638.

P.

- Paraphrenitis** 885. ejus signa 886. essentialia 887
 causae 888. sequ. prognos. 889
 medendi modus 890
- Parotides** in malignis quid signific. 383
- Peripneumonia** ejus definitio 782. divisio 783
 in veram et notham, in idiopathicam et symptomaticam 784. historia 785. signa essential. 786
 duplex ejus sedes in pulmonibus 787
- Peripneumoniae** signa specialia, quibus pars pulmonum adfecta dignoscitur 788
 causae, proxima 789. praedisponentes 790.
 occasionales plurimae 891
 prognos, qua exitus, salutaris suspectus et lethalis determinatur 792
 cura resolutionis 793. quae fit, missione sanguinis 794. enematibus 795. remediis viscosum inflammatorium solventibus et diluentibus 796. 797
 humectantibus externis 798. et iis quae varias criticas a natura institutas evacuationes juvant 801. -- 804

INDEX RERUM.

- Peripneumoniae** in suppurationem vergentis 805
 signa 806. medela 807. 808. 809. 810.
 ejus metastases variae 811. circa crura
 812. hepar. 813. et parotides 812. ex-
 itus in scirrhum 814. gangraenam 815
- Peripneumoniae** nothae 824. signa 825. differentia a vera
 826. causae, proxima 827. praedisponen-
 tes 828. occasionales 829. prognosıs 831.
 medela 832 -- 837.
- Petechialis** febris 344. 351. historia 352. symptomatum va-
 rietas pro corporis constitut. 353. causae praec-
 disponentes 355. occasionales 356. proxima 357.
 prognosıs dubia et fallax 358. curatio quae absol-
 vitur, malignitatem praeveniendo 360-362. eva-
 cuantibus dextre adhibitis 364. -- 367. hume-
 ctantibus et antisepticis 368. cardiacis, stimu-
 lantibus 371. sequ.
- Phrenitis** ejus definitio 669. divisio in idiopaticam et sym-
 ptomaticam 670. et signa 671. notae ejus immi-
 nentis 672. 673. praesentis 674. signa utriusque
 essentialia 675. differentia a mania 676. causae,
 proxim. 678. praedisponentes 679. occasionales
 680. 681. praesagia 682. -- 685. cura resolutio-
 nis 686. -- 692.
- Pituitae** in primis viis signa 54. modus eam eliminandi 55
 praesens in angina 759. peripn. noth. 828
- Pleuritidis** definitio 841. divisio in humidam et siccam 842.
 sedes 843. 844. differentia a peripneumon. 845.
 ejus symptomata 849. divisio in veram et spu-
 riam 846. 847. idiopath. et symptomaticam 848.
 causae, proxima 850. praedisponentes 851. oc-
 casionales 852. prognosıs 853. cura resolutio-
 nis 854. sequ. suppuration. 863. -- 875. gangrae-
 nae imminentis 876. scirrhi 877. spuriae signa,
 medela 883
- Purgantia** ubi indicantur 56. ea exhibendi modus 58. usus
 in febre putrida 212. in malignis catarrhalib. 339.
 in Variolarum stadio secundo 491. 529. in febris
 nervosis 641

INDEX RERUM.

- Purpura** 387. alba et rubra 388. benigna, maligna 389. ejus historia 390. ejus causa proxima 392. praedisponentes 393. occasionales 394. prognofis 395. 396. 397. curatio varia 398. fequ. ejus retroceffio quomodo revocanda 409. confluens quomodo tractanda 417. epidemica quibus remediis fananda 424. puerperarum genefis, cura 425. fcorbutica 426
- Putredinis** progressus in angina quomodo coercenda 754
755. fequ.

Q.

- Quartanae** febris definitio 120. historia 121. caufae proxima 122. remotae 123. prognofis 124. regimen 125. modus fanandi 126. - 133. 134. nocent in ea arfenicum, alumen, opium 137. remedia expertae virtutis 138
- Quotidianae** febris definitio 91. decurfus 92. differentia 93. caufae 94. prognofis 95. curatio 96. -- 99. in ea nocent jufcula et infufa nimia copia fumta 100

R.

- Regimen** acutis decumbentium in genere 166. 167. 168. reconvallefcentium in genere 169. in ardente febre 227. in catarrh. benigno 276. in malignis 363. eorum qui circa aegrotos verfantur 359. 360. 361. in purpura 399. in eryfipelate 444. rubeolis 452. in haemorrhagiis 1041. in narium haemorrhagia 1065
- Regimen** in haemoptoe 1094
in continua putrida 200
in catarrhali maligna 310
fudoriferum in variolis nocet 532. in phrenitide 692
- Remedia** antifebrilia infigniora 90
expertae virtutis in catarrhali benigno 295
in catarrhali maligna 343

INDEX RERUM.

- Remedia** in febre petechiali 386. in Erysipel. 448
 in Variolis 550. in Ophthalmia 718
 in angina 778. peripneumonia ver. 823
 in pleuritide 884. in nephritide 955
 in gastritide 980. Cystitide 1017
 in haemoptysi 1106. Vomitu cruento 1150
 in mictu cruento 1148. haemorrh. nim. 1199
 ad ulcera renum 955
- Revellentia praecipua** in phrenitide 687
Rhabarbari usus in vomitu cruento praec. singul. 1121. 1122
- S.**
- Salia acriora** in quotidiana nocent 98
 in vomitu cruento vitanda 1127
 incidentia in intermitt. 61. 62
- Salia volatilia** cum acidis in malignis quando adhibenda 375
 in petechiis 375
- Salis anglici** volat. usus in morb. capitis 702.
- Salivae profluvium** quomodo moderandum in variolis 517
 si minus suffic. acidis urina promovenda 539
 in purpura 418
 suppressio, cataplasmatibus et emplastris in variolis
 ad pedes deriv. 530
- Sanguis** recedit a S. N. quantitate 6. qualitate 7. motu 8
Sanguinis in putredinem vergentis indicia 205
- Scarlatina febris** 451
- Scirrhi** post splenitidem relicti curatio 925
 post inflammationem ventriculi 975
- Singultus** in malignis 333
- Sitis** in febre ardente quomodo lenienda 237
- Situs corporis** in nephritide necessar. 941
- Sopores** in malignis catarrhalibus 335. in purpura 413
- Spirituosa** in putrida, noxa 210
- Splenitis** 920. ejus decursus 921. different. 922. causae
 923. sequ. prognosis 924. cura 925
- Sputa suppressa** in peripneumonia quomodo revocanda 817
- Stimulantia** in petech. febre nocent 370. 371. 372

INDEX RERUM.

- Sudores febriles 76. in malignis 328
 nimii in nervosis febribus, quomodo moderandi 633
 Sudorifera quando profunt in intermitt. 66, 67
 in iisdem nocent 98
 in febre biliosa nocent 263
 Symptomata febris in genere 19
 assidentia 23
 mitiganda 33

T.

- Tertianae febris definitio 101. nota caract. 103
 diagnosi 104. causae 105
 prognosis 107. modus sanandi 109
 incidentibus 110. roborantibus 111
 diluentibus 112. febrifugis 113
 Tertianae continuae curatio 117
 suppressa quomodo revocanda 119
 Terrea medicamenta nocent, in biliosa febre 264. in
 lentis chronicis 605. in petech 376. et in mali-
 gnis 340
 Topicorum usus in erysiyel. 447
 humectantium usus praefert. sicc. in pleuritide
 spuria 883
 Tussis quomodo moderanda in catarrhali benign. 287. 292.
 293. in maligna 336
 in purpura 411
 hectica post variolas 542
 in morbillis 564. 566

U.

- Variolae 457. earum divisio, in discretas et confluentes
 458. veras et spurias 459. 460. sympto-
 mata quibus decursum suum absolvunt 462.-
 465. differunt secundum corporum variae
 constitutiones 466

INDEX RERUM.

- Vomitus** in maligna catarrali 330. in variolis 527
in nephritide 951
cruentus 1107. sequ. differ. 1108. ab haemoptoe
1109. ejus causae 1110. sequ. sedes 1112.
prognosis 1114. curatio 1115. sequ.
febrilis 73. in continua putrida 211
in renum inflammatione 957
- Vomica** pulmonum 808. ejus medela 809. 810
- Urinae** difficultas in cont. putrida 209
excretio in lentis nervos. prom. 634
crassae in renum inflammat. quid denot. 932
- Uteri** inflammatio 1018. signa 1019. causae 1020. pro-
gnosis 1021. cura 1022. sequ. 1030
haemorrhagia 1149. variae ejus species 1150. cau-
sae 1151. sequ. prognosis 1156. curandi mo-
dus 1157. sequ.
- Urticae** majoris succus in haemorrh. n. 1059



Emendanda.

- Pag. 3. l. 6. post ductus, adde; a.
Pag. 8. l. 26. febrillas, lege: fibrillas.
Pag. 29. l. 12. saeculi, lege: sacculi.
Pag. 33. l. 12. laxantes, lege: laxante.
Ibid. inter lin. 8 et 9. add. §. 83.
Pag. 45. l. 3. Uncia, lege: unciam unam in aqua dissolutam.
Pag. 46. l. ult. folia, lege: salia.
Pag. 60. l. 3. hac, lege: hzc.
Pag. 60. l. 26. axclusa, l. exclusa.
Pag. 61. l. 2. fenestre, l. fenestraz.
Pag. 78. l. 25. distinguit, l. distinguunt.
Pag. 86. l. 15. gelitos, l. gelidos.
Pag. 108. l. 19. videamus. l. videamur.
Pag. 108. l. 25. exsalvuntur, l. exsolvuntur.
Pag. 117. l. 22. post febris adde catarrhalis.
Pag. 157. l. 16. ferre. l. febre.
Pag. 173. l. 2. spondanei. l. spontanei.
Pag. 182. l. 6. exseretur, l. exscreetur.
Pag. 195. l. 29. et, l. ad.
Pag. 197. l. 10. aegrotari, l. aegrotare.
Pag. 202. l. 7. at, l. et.
Pag. 261. l. 11. quaecunque, l. quacunq̄ue.
Pag. 273. l. 4. duo, l. duae.
Pag. 276. l. 29. morbus, l. morbi.
Pag. 289. l. 17. massa, l. massae.
Ibid. l. 18. guttae, l. guttas.
Pag. 306. l. 2. cassantibus, l. cessantibus.
Pag. 308. l. 23. principio, l. principio.

